Assistentiæ Germanicæ

SPES & FIDVCIA,

CVRIS IVDICIISQVE DEI, ERGA HOMINES *IN HAC VITA EXISTENTES,* FIRMATA.

AVTHORE

GEORGIO STENGELIO SOCIETATIS IESV Theologo.



OMNIBVS HIC REQVIES: ALIAS CVR QVÆRIMVS VMBRAS?

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

INGOLSTADII.

Apud GREGORIVM HÆNLINVM,

Anno M. DC. XLV.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO S. R. I. PRINCIPI, AC DOMINO DOMINO

MARQVARDO

EYSTETTENSIS ECCLESIÆ EPISCOPO, PRINCIPI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

POstquam à libris meis, dudum inchoatis, exulare desij, & ad interiores ac reconditas illas litteras postliminiò redivi; prima mihi cura fuit, à Deo principium ducere, &, quæ de diuersis illius Iudicijs elucubraueram, in apricum proferre. Dehinc proxima cogitatio erat, cui primam argumēti huius tractationem dedicando, optimis ominibus, inciperem? Nec fuit diu deliberandū. Occurrit enim menti illico R.ma & Ill.ma Celsitvdo Vestra. Cuius consilij caussas delibare mihi licet, non numerare. Primùm, quid longè excurrerem, ad Patro-

num quærẽdum, quem in vicinia poteram inuenire, & habebam antè, quàm quærerem? Deinde cuiusnam Principis patrocinium in melioris spei omen accepissem, quàm illius, cuius antiquissimæ familiæ nomen ipsum optatissimum est, & bene ominatum? Accedit pristina obligatio. Nam An. 1626. cùm CELS.^do V.^ra adhuc, hîc Ingolstadij, in studijs litterarum versaretur, eas scientijs virtutes conjunxit, vt nominis fama cum vitâ certaret. Et, me quidem judice, victa est fama, quia virtute minor fuit. Quanquam enim, ob eam nominis existimationem, vniuersa hæc Academica Congregatio nostra CELS.^nem V.^ram ceteris omnibus Sodalibus anteposuit, & quẽ vidit moribus, eundem etiã voluit Præfecturâ eminere; nondum tamen honor merita æquauerat: nec indoli par dignitas illa fuit, sed quoddam vaticinium duntaxat futuræ dignitatis. Siquidem magna Christi Mater, in omen, iam tũc voluit proludere, dum CELS.^nem V.^ram voluit Cœtui suo præesse, quam sciebat, à Filio suo, maioribu

annis

annis, Eyſtettenſi Eccleſiæ præficiendam. In ea igitur Marianâ Præfecturâ, cùm ita cunctos exemplo, conſilio, diſciplinâ regeret, vt mallent tali Præfecto ſubeſſe, quàm eſſe ſui juris; dici non poteſt, quo dolore, Sodales, & die 13. Septemb. in Concilio audiuerint CELS.nem V.ram valedicentem, & poſtea 20. eiuſdem menſis, viderint hinc Romam diſcedētem. Quod non memoro ex Annalibus tantummodo hauſtum, ſed oculis etiam meis vſurpatum. Quippe ego tunc *& præſens, & Præſes eram*; indignus quidem, ſed nullo vnquam tempore opportuniùs; quo ſcilicet id, quod Præſidis induſtriæ deerat, Præfecti excellentia compenſaret. Doluimus ergo tunc, & quòd tanti ſideris præſentiá carere, & quòd, ob abruptum, ante finem magiſtratûs, diſceſſum, Ducem tam præclarum, ſine peculiari honore, & gratiarum actione, dimittere oporteret. Hinc priſtinum illud, quod dixi, vinculum. Nemo arctiùs obſtringitur, quàm qui beneficijs obligatur.

Sed venio ad longè maiora. Neq; enim

Sodalitas tantùm, ſed tota etiam Societas noſtra, Reuer.mæ & Ill.mæ Cels.ni V.ræ debet; ſub qua Collegium noſtrum Eyſtadianum, velut è naufragio, tabulas colligit; ſub qua Gymnaſium inſtáuratur; ſub qua templum reſumit dignitatem. Ita nempe pietati, ſcientijs, religioni Superi proſpexêre, vt in Cels.ne V.ra Scholæ & Muſæ Apollinem & Mecœnatem, templa & clauſtra Willibaldum & Wunibaldum nanciſcerentur. Hæc eſt prouidentia Numinis, vt ſicut tēpora diſpenſat, ita & temporibus idoneos aſſignet Principes. *Bella, horrida bella*; bella fortes lacertos exigentia Germaniam iam diu vrgent; heroum humeris opus erat, & non vno Atlante, qui tantum onus ſuſtinerent. Hæc bella, ſub Anteceſſore Cels.nis V.ræ cæperunt, cui tanta animi generoſitas fuit, vt cladem fortiter pati poſſet. Gaudent nunc pijſſimi illius Manes, cum ſibi datum ſucceſſorem, qui ad eaſdem laudes, ijſdem veſtigijs, non ambulat, ſed volat; nec clades tantùm tolerare poteſt, ſed & leuare, atque ea, quæ flam-

flammis in cineres redacta ſunt, denuo ſuſcitare. Quod arx, quod vrbs Willibaldina, quod populus quoque Eychſtadianus, quod tota diœceſis teſtatur, quod fama vbique prædicat. Nam & foris in aures incurrit, quod domi oculi intuentur. Certè cùm nihil difficiliùs ſit, quàm regere, quando omnia turbantur; nec quidquam laudabilius, quàm in medijs tumultuum fluctibus animum tranquillum tenere; vidi ego, & viderunt mecum alij, eo tempore, quo in ſummo diſcrimine cardo rei vertebatur, mentem illam excelſam, & inconcuſſum CELS.nis V.ræ pectus, quod nos exemplo ſuo docebat, non damna, ſed cauſſas bellorum eſſe deplorandas.

Qui inter ſyrtes ac tempeſtates tam peritè nauigat, quid faciet in placido mari? præſertim is, qui Principem non imitatur, ſed exprimit? qui ipſam virtutem ornat, qui facit eam in ſummo faſtigio magis conſpicuam? qui rebus ſerijs ita mentem affigit, vt ſcientias ſtilo, ingeniũ

consilijs, prudentiam operibus, vigilantiam curis, authoritatem mandatis passim exerat? Huius ego manus non exosculer, quas cælo sublatas Diui æstimant, in eleemosynam extentas turba egentium, cum multa laude, prehensat? Compendio dicam, illi Principi hunc Prodromum meũ dedico consecróque, cuius facta meruerunt, vt non saxis tantùm, aut ædificijs, sed etiam libris inscriberentur. Bonus DEVS CELS.nem V.ram nobis, & toti Ecclesiæ suæ diu seruet incolumem. Ingolstadij. Anno Seruatoris 1645. Cal. Ian.

R.mæ & Ill.mæ CELS.nis V.ræ.

infimus seruus

GEORGIVS STENGELIVS
Soc. IESV.

PRÆ-

PRÆFATIO.

SOlimanno Turcarum, cùm in conspectum suum legatos admittit, assidenti in toro adsunt, ad manum, ensis incuruus, clypeus, claua ferrea, arcus, sagittæ, *signa non minùs territi, quàm terrentis; quippe apposita ad vim vi repellendam, & ad propriæ vitæ defensionem perinde, atq; ad offensionem alienæ. Christum Seruatorem nostrum, ad judicandum orbem terrarum, in nubibus venturum, picturæ*, arcui cælesti, *seu iridi multicolori insidentem, atque hinc, victoriæ, præmijq; indicio, viridante palmâ amabilem; inde gladio vagina vacuo terrificum proponunt; absque clypeo; quia* iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Vnde non habet, quod paueat; neque clypeo vtitur, ad se, sed ad suos duntaxat*, scuto bonæ voluntatis *protegendos, quando* induet, pro thorace justitiam, & accipiet, pro galea, judicium certum, sumet scutum inexpugnabile veritatem. *Lætus palmæ viror bona præmiaq; significat, quæ vincentibus largietur, & laurigeros saluandorum triumphos. Ensis à sinistra fulgurans mala portendit, quæ, in nouissimo, atque totius mundi judicio, præuaricatoribus est daturus,*

Laurent. Sur. An. 1541. in cōment. rer. in orbe gestar.

Rom. 6. 9.

Psal. 5. 13.
Sapi: 5. 20.

turus, quando acuet duram iram in lanceam. *Et hoc quidem judicium notum est omnibus, quibus fides orthodoxa non est incognita. Neque Ethnicos omnino latuit, qui neque Tartara, neque vllos vnquam finxissent, in Proserpinæ regno, Minoës, aut Rhadamantos, aut Æacos, nisi maius quoddam tribunal, post hanc vitam, adeundum metuissent. De quo Vniuersali Iudicio, compluribus concionibus à me explicato, peculiares libros conscripsi, Deo dante, & maiorum nutu approbante, prodituros.*

Aliud judicium est quotidianum, sub quod omnia cadunt, quæ in mundo geruntur: idque sanè geminum. Cùm enim ad Vniuersi huius supremum Gubernatorem pertineat, nihil sine judicio agere; neque tantùm hunc inuitare præmijs, illum terrere supplicijs; sed etiam alijs modis vti, ad illos in virtute exercendos; necesse est, vt idem sapientissimus ille Moderator, alijs vitæ huius bona, alijs mala existimet attribuenda. Nam quia multis bona, vt putant, nocent, maláque prosunt; quoniam ipsi errore mentis, bona esse censent, quæ reuera mala sunt; & mala vocant, quæ, in diuina trutina, esse optima inueniuntur; vel quia etiam vera bona bonis in præmium, malis in

virtu-

virtutis incitamentum; vera autem mala, malis in supplicium, bonis in exemplum cedunt, & adeò ipsa quoq; ad bonum flectuntur: idcirco quidquid mortalibus accidit, ex diuinæ iræ justitiæq;, vel misericordiæ & bonitatis judicio accidit.

Quæ duæ virtutes, cùm in Deo reipsa vnum quid sint; ita etiam in rebus à Deo immissis, aut permissis, inter sese cohærent, vt, ferè, nisi sola hominis cogitatione, effectúsque parte, separari non poßint. Est enim, in omnibus mundi casibus, vel justa misericordia, vel misericors justitia summi Gubernatoris. Ipse Dominus DEVS noster: in vniuersa terra judicia eius. *Qualia judicia? judicia justitiæ & misericordiæ; quoniam* misericors Dominus, & justus. *Hæc* judicia, *etsi quandoque horrida primo sint aspectu, in recessu tamen Deum amanti, sunt* jucunda, *dulci nucleo sub duro cortice latenti comparanda. Quorum* considerationem *Odo Morimus, rectè dixerit esse* osseam: *suauem enim medullam continent, sed ad quam, per ardua venitur, cùm difficile sit, in damno, quod patiuntur mortales, lucrum agnoscere; atque etiam in malis, quæ contingunt, beneuolentiam deprehendere. Quicunque autem deprehendere*

Ps. 104. 7.

Ps. 114. 5.

hendere didicerunt, promptum in ore habent Ps. 118. 39.
illud: Iudicia tua jucunda. *Neq; voluntatem tantùm, ex hac consideratione, capiunt, sed alium insuper quendam fructum longè maiorem. Etenim, ob hac* judicia, *ab ima radice perspecta, rectè sapientes Deum etiam colunt; eius iram timent, bonitatem amant,* Deuter. 32. 3. *laudant sapientiam, & aßiduè cantant:* Date magnificentiam DEO nostro: DEI perfecta sunt opera, & omnes viæ eius judicia.

In his judicijs *cognoscendis, quia versantur quotidie Sancti, nihil quidquam ægrè ferunt, quod ferunt. Vident enim justum esse, quidquid est à summè justo; benignum,* 2. Cor. 1. 3. *quidquid est* à Patre misericordiarum, *quem amant, quia cernunt nostri tam amantem; à quo omnia placidè suscipiunt, quia reuerentur eum, nihil ex odio facientem.* Ps. 17. 22. Custodiui vias Domini, nec impiè gessi à DEO meo, *inquit rex ille & aulis, & bellis assuetus. Cur?* Quoniam omnia judicia eius, in conspectu meo: &, *hac ipsa de caussa,* justitias eius non repuli à me. *Siquidem inuidias & odium capitale Saulis, perfidas populi persecutiones, diras, maledictiones Semei, parricidales rebelliones ipsius filij mei, ipsas iniquitates aliorum,* judicia, *& ju-*

& justitias eius *esse reputaui. Cur enim non haberet jus me exercendi Dominus meus, aut me puniendi Iudex meus? qui tam bonus est, vt velit etiam malis benè vti; tam valens, vt è contrariis contraria exprimere poßit?* Diuina est vis, *inquit Boëtius*, cui mala quoque bona sunt, cum eis competenter vtendo alicuius boni elicit effectum. *Sic vulnerat, vt sanet; labi sinit, vt altiùs erigat: peccatique ipsius ignominiam conuertit in gloriam humilitatis; faciens, ex peccatrice, Magdalenam pœnitentem; ex discipulo negatore, Petram Ecclesiæ; ex persecutore Saulo, vas electionis. Hoc qui perspectum habent,* justitias DEI *à se non repellunt, sed beneuolentiam interpretantur, quidquid prouenit à beneuolente; consilium optimum esse censent, quidquid diuina sapientia nostri boni tam cupida decernit. Deniq; quia mundi Rectorem, tam pro nobis sedulum, tamq; saluti nostræ attentum experiuntur, spinosam illam rerum caducarum solicitudinem, in lætißimæ fiduciam mentis mutant, & in cælestem quandam securitatem.*

Boët. l. 4. de Consol. pros. 6.

Non sic impij, non sic judicia Numinis meditantur: qui, cùm acerbißimâ flagitiorum memoriâ, aßiduis intemperiis, & Furiarum

riarum facibus, conscientiæq́; ictibus agitati, non possint dicere: judicia tua jucunda: *id, quod meruerunt, semper timent; quod timent, auersantur; & vel obliuione conantur sepelire, vel obliquo & refugo oculo aspiciunt; ad præsumptionem, non ad emendationem, monita omnia rapientes. Hoc est, quod Vates dixit.* Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in justitiam tuam; *in quam, qui intrant, næ illi optimè Deo contenti sunt, quidquid agat, quidquid vel bonis mali, vel malis boni, vel vtrisque aduersi secundique inferat, vel auferat.* In justitiam, *& arcana consilia justissimi Dei, qui* intrant, *discunt, in prosperitate, modestiam; in accumulatione casuum humanorum, constantiam; patientiam in aduersariorum calumnijs, fortitudinem, inter ipsa martyria retinere, crucémque suam portare, non calcare. Discunt varias quidem esse, in hac vita vias Domini, sed omnes justas.* Non enim solet DEVS, eâdem subinde ratione, res humanas gubernare, *ait Nicetas Acominatus Choniata,* sed ad varietatem administrationis vniuersi declarandam, regna & principatus, (*aliáque officia*) aliter atque aliter transferre.

Psl. 118. 39.

Psl. 68. 28.

Nicet. Choniat. lib. 3 de Imper. Isaaci. Angeli.

ferre, ne minutissimis quidem rebus, à sua cura exclusis. Pharaonem, cum equitatu, in fundo maris demersit. Alium (*Holophernem scilicet*) per formosam mulierem iugulat. Alium ab hostibus occidi sinit. Est & qui ex mentis errore pro mortuo habitus, atque (*vt Zeno*) obliuioni traditus, palatio cum derisu effertur, & sepelitur. Vnde obscura voce clamans, & lucem desiderans, non Imperium expetens, nihilominus, vt vir pessimus, rectè pessum ire, & interire sinitur. Multi (*cum Anastasio*) leni morte extincti, velut oculis somno clausis, hinc demigrant. Sunt, qui per hinnitum equi (*vt in Dario factum*) ad regnũ ascenderint. Alius ab aratro & sulco ad purpuram est vocatus. Alius adolescens opilio (*de post fœtantes*) diuinitus in reg- Ps. 77. 70
num vngitur. Sed quorsum attinet commemorare singula, quæ prouidentia in vitæ humanæ ratione, pro vtilitate cuiusque, varijs modis; mutat & transfert? Misericordia Domini plena est terra. *Quia* Ps. 32. 5
igitur pauci sunt, qui, quot, & quanta bona à Conditore suo accipiant, agnoscũt; & non pauci, qui Pharisaico scandalo, ostendunt, se etiam eius benignitate atque clementiâ offendi; paucissimi

cissimi autem acie mentis adeò aquilina, vt, in diuina ira, diuinam deprehendant bonitatem; vt ament castigantem, & pœnas nôrint, inter beneficia, computare; idcircò multiplex est, hoc argumentum, à me, plenis duobus voluminibus, conscriptum, &, suo tempore, promendum. Sed hoc tempus magnos edi libros, non patitur; & parua plerumque sunt gratiosiora. Herodot. lib. 1. *Cyrum ergo sum imitatus, qui Gnidem amnem ita restrinxit, vt in trecentos sexaginta riuos diduceret; ex quo nimia eius amplitudo concisa est. Ita ergo & ego materiam latissimè diffusam, neque vnquam satis exhauriendam, secui, & ex libro libellos feci. Quorum iste primus est, qui de* Spe & Fiducia *è curis judiciisque Dei haurienda agit. Fiducia autem nihil est aliud, quàm spes confirmata, atque perfecta, vt cum S. Thoma, Theologi docent, & Seneca quoque ad Lucilium ita scribens:* De te spem habeo, nondum fiduciam. *Spem habe, & tu, Lector, immo & fiduciam, ceteros libellos, è vestigio, secuturos.*

S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 6.

Seneca epist. 6. ad Lucil.

SPES

SPES ET FIDUCIA, CURIS IUDICIISQUE DEI, ERGA HOMINES *IN HAC VITA EXISTENTES, FIRMATA.*

CAPUT I.

Aliunde maximè relictos, à Deo maximè curari, ostenditur exemplis veteris Testamenti.

§. I.

Nec nihil, nec omnia curare homines debere.

ORaculi suffragio sapientissimus Socrates solebat dicere: *Si quid cura potest; illud cures: at si Deus ipse te curat, cur tu solicitus tibi sis?* Duo monuit, ne negligentes simus, vbi Deus nos vult, labore nostro aliquid emere; & ne, vbi opera nostra inutilis est, diffidamus Deo nos curanti. Ob primum, ait S. Augustinus: *Cum viderimus, aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, non iu-*

Max. serm. de Prouid.

S. Aug. lib. de

serm. Domini in monte.

dicemus, eum de crastino solicitum esse: nam & ipse Dominus, propter exemplum, loculos habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est: Ea quæ ad vitam sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. Ob secundum multa nobis paternæ suæ curæ exempla Dominus reliquit, quæ meritò possint spem fiduciámq; nostrã accendere.

§. II.

Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam.

Et quanquam, vt in prouerbio est, manus cum Deo mouendæ sunt, Sanctus tamen Ignatius noster egregiè docuit, semper pluris faciendam Dei opem, quàm omnia mortalium auxilia. *Adijt aliquando Ignatius ad salutandum Principem virũ nostri studiosũm, à quo minùs officiosè, quàm par erat, exceptus est. Caussam Ignatius arbitratus est, quòd minùs eius opera, ad res Societatis, atq; patrocinio vteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis nostræ percupidus, molestéq; forsitan ferebat, quòd alios, ad nostram defensionem, se prætermisso, potiùs adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, Dicam, (inquit) illi, & apertè dicam, me ante 30. annos a Deo didicisse, vt in ijs effici-*

Petr Ribad. in vita S. Ignat. l. 5. c. 9.

efficiendis, quæ Dei sunt, omnia auxilia conquiram: sed ita, vt non in externis adiumentis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectore constitutam putem. Quòd si, inter hæc subsidia efficiendiq; instrumenta, se vnũ esse vult, libenter eo vtemur: sed ita demum, si intelligat, nos ab vno Deo pendere, Deo non hominibus niti. Id vt faciamus omnes, multa nos exempla docent: è quibus pauca seligam.

§. III.

Dei, erga Mundum magnum & paruum; cura monstratur.

Atque in primis illud, quod D. Damascenus, ad Conseruatoris agnitionem, egregiè explicat. *Nam cum nauis, remoto Gubernatore, consistere nequeat, verùm statim pessum eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus stare poßit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat; quo nam tandem pacto mundus, opus vsq; adeò ingens, atq; ita præclarum & admirandum, sine eximia aliqua, & ingenti atq; admiranda gubernatione, sapientißimáq; prouidentia, tam diuturno temporis spatio, constitisset? Ecce enim quantum iam temporis fluxit, ex quo cœlum est, nec tamen obscuritatem contraxit; nec terra vis tam diu pariens elanguit; nec fontes,*

S. Ioan. Damascen. l. de Vita Barlaam & Iosaphat. Iacobo Billio Prunæo interprete.

tes, ex quò orti sunt, scaturire destiterunt; nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit; nec solis ac lunæ cursus immutationem vllam subierunt; nec diei ac noctis ordines inuersi sunt. Quòd si Deus elementis adest, si terræ prouidet, si maria curat, si totã Mundi domum tam diu, tam accuratè sustentat, Mundo ipso nec sentiente, nec pro se solicito; quid sperare poterit homo, cuius caussa & elementa, & totus hic orbis est creatus? Qui sepem curat, an hortum negliget? Qui sementi vigilat, num dormiet messi? aut pilum, quàm pellem pluris faciet?

§. IV.

Vbi alij desunt, Deum non deesse.

Cùm autem tanquam communis parens omnibus prouideat, maximè tamen curam
gerit eorum, qui aliunde deseruntur. Lau-
dat Photius Patriarcha Constantinopolita-
nus, *Sanctorum virorum librum,* Græco au-
thore incerto conscriptum, in cuius libri se-
ptimi fine, apud Rosvveidum, senem iuni-
or interrogat: *Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & non habuero, cui me committam, & indicem passionem animi mei, quid facio?* Cui senex respondet: *Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum & gratiam suam,*

Photius biblioth. cod. CX. C. VIII. Rosvveid. lib. 5.

am, & ipse tibi est consolatio, si in charitate rogaueris eum. Quibus verbis addidit, audiuisse se, in Scithi, aliquando eiusce rei hoc exemplum contigisse. Ibi enim Ascetā multis vexatum tentationibus, cum non haberet, cui vel animi tumultum aperiret, sedandúmque præberet; vel apud quem peccata confiteretur, sub noctem, iam cæpisse parare sibi melotem suam, vt, orto die, statione deserta, migraret. Sed, nocte media, Gratiam Dei, habitu exquisitissimæ virginis, ei apparuisse, vetuisséque, ne inde latum vnguem discederet; sed secum, eodem loco, perseueraret: nihil enim illi mali euenturũ: si desint homines, non deesse Deum. Perseuerauit, & illico mentem tranquillam accepit; non accepturus, si alibi quæsiuisset. Nempe cum illo sentire oportet, qui dixit: *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed Gratia Dei mecum:* quæ tantò plus operatur, quantò plus momenti habere creditur: credit autem is magis, qui humanis viribus fidit minùs. 1. Cor. 15. 10.

§. V.

Lepida historia feminæ ab alijs minus curatos magis curantis.

Thom. Cantipratanus l. Apum. 2. c. 10. §. 8.

Apposité hîc recenseri potest, quod lepidè gestum idoneus author scribit, de Aleyde prudentissima *Vallis-Ducis* Abbatissa. Clarissimus Brabantiæ Dux Henricus huius nominis secundus, filiæ suæ Margaritæ, in Brabantia, nobile cænobium *Vallis-Ducis* dictum exædificârat, ordiniq; Cisterciensi sacrum esse voluerat. Ei cænobio prima præfuit Aleydis prisci & integri moris, vt & stemmatis femina, cui neque ingenium defuit, neque virtus, neque linguæ gratia, aut lepos loquendi. Hoc cænobium, vt de more visitaret Guilielmus Villariensis, postea Claræuallensis Abbas, friuolas Monialium, concontra eam, & planè muliebres de nihilo querelas excepit. Querelarum grandissima erat, quòd Antistita fratribus Dominicanæ & Franciscanæ familiæ hospitio acceptis vinum atque pisces apponeret; tunicas quieturis mundulè lotas præberet, pedésque eorum calida iuberet ablui: quæ tamen *omnia non faceret Monachis sui ordinis, cum venirent*; quibus vtique par esset, liberaliorem curam impendere. Audijt hanc sui accusatio-

nem prudens & ingeniosa mulier, atque modestè subridens licentiam petijt respondendi. Qua obtenta: Vera, inquit, sunt, de quibus accusor, negare non possum; possum tamen excusare, si caussam rationémq; volunt audire sorores meæ. Prædicatoribus & Minoribus ftratribus, vinum & pisces, cum possum, largior: siquidem illi pecunia destituti talia sibi emere nequeunt: *vestris autem Monachis id ipsum non facio, quia egredientibus, vt confido, & scio, datur pecunia, vnde possunt emere & habere.* Fratribus, qui pedibus conficiunt iter, cœnóque lutati ac lassitudine pleni, apud me diuertunt, tunicas, vestésque linteas non obsoletas suppedito, vt nocte commodiùs quiescant: *Monachi autem nostri equites vadunt, & in manticis suis tunicas & vestes portant, quas, cum voluerint, poterunt immutare.* Fratribus illis aqua pedes curo recreari, quia eos sudoribus & luto sordidos afferunt: *Monachis autem vestris idem non facio, quia equis altioribus insidentes ab immunditijs talibus possunt conseruari.* Hoc responsum vbi Abbas, vbi Monachi, vbi Moniales audiuerunt, risu leporem, silentio & admiratione tacita sapientiam Antistitæ approbârunt.

§. VI.

Cura Dei erga Adamum, Noë, Agar, & Isaac patriarcham.

Ad eundem modum diuina Prouidentia iudicat iuuandos, qui aliunde destituuntur; aliunde autem sibi nimis attentè anxiéq; prouidentes censet ope destituendos. Nudus erat Adam, nec dum sartor fuit in terris, qui eum Melitensi veste tegeret: & ecce non dedignatus est Orbis Conditor officium subire pellionis: nam *fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Qui etiam hodie multos induit, quos milites exuunt spoliántque. Cur enim nudos esse sineret homines, qui aues plumis, pisces squamis, quadrupedes corijs pilísque tegit? Ingressus erat in Arcam, cum animantibus, Noë, *sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis.* Ecce quia nemo fuit, qui ostium foris obseraret aut oblimaret, DEVS ipse Noëticæ familiæ voluit esse ianitor. Agar ancilla, *affligente eam Sarai, fugam inijt.* Fugit homines affligentes, inuenit Angelos consolantes. Et rursum, alia vice, cùm filio eiecta *errabat in solitudine Bersabee. Cumq; consumta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erant. Et* (relicto

Gen. 3. 21.

Gen. 7. 16.

Gen. 16. 7.

Gen. 21. 14.

eo)

go) *abijt, seditq́ę è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit.* Sic ab ipsa matre sua destituti *exaudiuit Deus vocem pueri: vocauitq́ę Angelus Dei Agar de cœlo, Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est.* Sic filio mater, matri puteus & aqua à Deo est data. Alter quoq; filius Abrahæ Isaac, non iam à matre destitutus, sed à patre lignis & aræ impositus, atque in victimam ligatus, cum eò deuenisset, vt ictum expectaret & ferrum ceruice reciperet (iam enim *Abraham extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum*) ab omni alio auxilio desertus, de cœlo subsidium accepit. Siquidem *Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham: Qui respondit: Adsum. Dixitq́ę ei: Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam.* Ad hoc auxilium Devs iam tum respexit, cum Isaac iussit victimari, de quo tamen Abrahæ longam spopondit posteritatem. Gen. 22. 10.

§. VII.

Dei, pro patriarcha Iacob, cura.

Actum fuisset de Iacob, quando Laban,

Gen. 31. 23. *assumtis fratribus suis, persecutus est eum, diebus septem: & comprehendit eum, in monte Galaad*; nisi vidisset Laban *in somnis sibi dicentem Deum: caue, ne quidquam aspere loquaris contra Iacob.* Longè fortior tunc erat Laban, & ad internecionem potuisset extinguere Iacobum; sed deserto, ab ope humana, diuina succurrit manus. Qua de caussa dixit Laban: *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed* DEVS *patris vestri heri dixit mihi: Caue, ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Igitur, nesciente Iacob, caussam Iacob egit DEVS: quem, vt amicum, sic habuit & protectorem, etiam tunc, cum Esau in patriam

Gen. 32. 6. reuertenti *properauit in occursum, cum quadringentis viris.* Nam timens Iacob, & se iterum multitudine inferiorem, rémq; humanitus desperatam videns, ad cæleste auxilium

Gen. 32. 9. confugiens, dixit: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam &c. Erue me de manibus fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem, cum filijs.* Sic orauit, & Angelum impetrauit luctatorem, immò consolatorem ac dicentem: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis?* Quia er-

go, in periculis, *fratrum quoq; gratia rara*, immò quia ab ipsis fratribus sæpe periculum maximum existit, potuit Iacob haud absonè illud vsurpare: *Frater nō redimit, redimet homo?* quid in meis famulis spei ponã, si frater ipse mihi est metuendus? Ergo confugiam ad DEVM, & dicam: *Erue me de manibus fratris mei.* Quod & fecit DEVS; nam, Esau illi occurrente, succurrit. Psal. 48. 8.

§. VIII.

Patriarcha Ioseph à fratribus derelictus, à Deo adiutus.

Non contra vnum fratrem, sed contra multos eum occidere statuentes, adfuit Iosepho quoq; benignus Dominus; cui & adfuit in ipso carcere, nec enim *in vinculis dereliquit eum*, cum ab omnibus hominibus derelinqueretur. O quàm sæpe homini homo est lupus, quem non solùm in fluctibus deserit, sed etiam mergit! Quàm sæpe frater fit fratri, quod Romulus fuit Remo, quod Cain Abelo? Vtinam tunc crederetur, in cœlo superesse, qui brachium suum manúmq; auxiliatricem porrigere vult in terram, dummodo sit, qui respiciat eam, nec frustra sinat extendi. Gen. 37. Gen. 41.

§. IX.

§. IX.

Israëlitæ, contra Ægyptios, prodigiosè defensi.

Mirabile exemplum eſt, in Iſraëlitis ex AEgypto egreſſis vſque ad mare rubrum. Ibi cum hinc mōtibus clauderentur, inde truculentum æquor obſtaret, à tergo autem infeſto exercitu Pharao eos premeret; illi verò etiam hoſti armis impares eſſent, neq; nauibus traijcere pelagus poſſent, neque alas haberent, quibus trans montes poſſent euolare, quid aliud clamare, humano iudicio, poterat populus, tot diuinorum prodigiorum oblitus, quàm:

Catull. de Nupt. Pelei & Thetidos.

Siccine me Pharijs *abductum, perfide, ab oris.*
Perfide, deserto liquiſti in littore, Moyſes?
Non *patet egreſſus pelagi cingentibus vndis.*
Nulla fugæ ratio, nulla ſpes: omnia muta:
Omnia ſunt deſerta: oſtentant omnia lethum.

Nam ferè ad hunc modū locutus eſt & Pharao de Iſraëlitis, & Iſraëlitæ de Pharaone.

Exod. 14. 3.

Ille dixit: *Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum. Cumq; perſequerentur Ægyptij veſtigia præcedentiū, repererunt eos in caſtris ſuper mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuerſus exercitus erant in Phihahiroth contra*

tra Beelesephon. Cumq; appropinquasset Pharao, leuantes filij Israël oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valde: clamaueruntq; ad Dominum (non, quo oportebat modo) *& dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine, quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te, in Ægypto dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus AEgyptijs? multò enim melius erat, seruire eis, quam mori in solitudine?* Ad quem planè modum in angustias redacti multi DEO parum fidentes, sed humanis duntaxat consilijs & auxilijs apparentibus nixi loquuntur. Cùm enim ipsi modum non vident euadendi, neque DEO contenti, quasi se vindicaturi, ita fidem illi datam, religionémq; omnem seponunt; ita fidem perfidis adhibent; ita toties decepti decipi ampliùs volunt; immò ita virtuti honestatique aurũ & arces ruituras anteponunt; ita scopus illis omnis est vtile; ita, cum iratâ Iunone, Acheronta mouere, quàm Superos flectere malunt. Quasi non Deus sit verus auxiliator, tempore pacis; aut, in ipsa belli tempestate, *Dominus Exercituum*, & dator victoriarum; quo offenso, nemo vnquam

quam vicit; placato, nemo victus est. Isti ergo præpostere, vt vincant, Deum blasphemant, & contra pios, tanquam Israelitæ contra Moysen, murmurant, qui pacem reducere, atque eos ex Aegyptiaca seruitute educere, & Pharaonica Tyrañide liberare voluerunt. Si quem enim Moysen nacti sunt, dicentem, *Ibi incipiunt auxilia diuina, vbi deficiunt humana*, illico aiunt: *Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptys.* Ad hos igitur tales, ait Moyses: *Nolite timere: state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquã vltra videbitis, vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Nouit Dominus ipsum mare diuidere, nouit tollere montes, nouit submergere equos & quadrigas; & totos fluctibus exercitus sepelire. Nam etiam miraculis succurrit suis, quando necesse est. Nec prima vice id fit, quando Deus id facit. Quanquam is, ita est sapiens ac potens, vt, etiam sine miraculis, extemplo possit omnia humana consilia disturbare, & inde, vnde minimè putatur, rebus desperatis remedium inuenire; modò nos, id eum posse crederemus. Non est necesse miracula expectare; ad Deum re-

cur-

currramus; non est nostrum, vt pro Deo solliciti simus, aut omnipotenti Domino modũ præscribamus. Nostrum est, sperare, illius iuuare. Quantùm nos ab illo recedimus, tantùm & ille recedit à nobis.

§. X.

Ad terram conuersos, à cœlo deseri.

Enimuerò sæpe aliunde quærere solatia humana, fuit perdere diuina. Israëlitæ ijdem in Galgalis, & Campestribus Iericho fecerunt Phase, *& comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes & polentam eiusdem anni.* In eum vsque diem Manna illis de cœlo cecidit: ast, vbi ad terram & terrenos cibos, solatiáque conuersi sunt, licet sancto prætextu azymorum, quid factum est? Clarè aperit Scriptura inquiens: *Defecitq́ manna, postquam comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.* Deficiunt itaque cælestia, vbi dominantur terrena; sicut vbi desinit auxilium terrenum, ibi cœleste succurrit. Hoc experiuntur, qui, dum, agnita sua calamitate, dicere coguntur: *circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me*, etiam illud didicerunt pronunciare: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus,*

Iosue 5. 11.

Psal. 17. 5.

Ibid. ℣. 2.

meus, Deus meus adiutor meus: & sperabo in eũ. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Plutarch. in Apoph. *Deum meũ clamaui.* Sequitur enim: *Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam.* Darius Xerxis pater aiebat, *se in prælijs & periculis euadere prudentiorem.* Idem contingit electis, cum in summa discrimina incurrunt, fiunt prudentiores: quando enim vident, actum esse de subsidio mortalium, non despondent animum, sed ad asylum maius confugiunt; Psal 17.4. cum hac voce: *Laudans inuocabo Dominum; & ab inimicis meis saluus ero.* Nescio quale nunc sit seculum.

Terra malos homines nunc educat atq; pusillos;

quos scilicet non prudentiores, sed amentiores faciunt pericula; neque enim, orta tempestate, nauem in portum, sed in scopulum inferunt, quia non fugiunt ad Deum, sed Deum relinquunt. Hinc tot naufragia patiuntur, nec tabula illis relinquitur, quia anchoram abiecerunt, qua vsi procellas omnes sustinuissent.

§. XI.

Luculentum Dei, in rebus desperatis, per viduam, succurrentis exemplum.

Iudith. 7. 2. Sine numero sunt exempla, in libris Iosue,

ſue, Iudicum, Regum, quæ, breuitatis cauſſa, tranſeo. Illud non poſſum prætermittere, quod in hiſtoria Iudith fortiſſimæ heroidis offertur. Terribile fuit nomen Holofernis: exercitus ingens: apparatus armorum formidandus. *Erant* enim *pedites bellatorum centum viginti millia; & equites viginti duo millia; præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerãt de prouincijs & vrbibus vniuerſæ iuuentutis. Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnandum, contra filios Iſraël.* Quem non percellat tanta multitudo? Acceſſit aquæ penuria. Nam Holofernes *incidi præcepit aquæductum illorum.* Et quia fuerant *non longè à muris fontes; ex quibus furtim videbantur haurire aquam; ad refocillandum potiùs, quàm ad potandum, &c. constituit per gyrum centenarios, per ſingulos fontes. Cumq; iſta cuſtodia, per dies viginti, fuiſſet expleta, defecerunt ciſternæ, & collectiones aquarum; omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non eſſet intra ciuitatem, vnde ſatiarentur, vel vna die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fæminæq;, iuuenes & paruuli, omnes ſimul vna voce dixerunt: Iudicet Deus in-*

Iudith. 7. 2.

ter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, NOLENS LOQVI PACIFICE CVM ASSYRIIS, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum: Et ideò non est, qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna. Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt; vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. Melius est enim, vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quàm moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori, ante oculos nostros. Sic populus loquebatur, qui, cum humanam opem nullam sciret, proximum habuit, vt desperaret. Nec id adeò mirum; mobile est vulgus, neque ita longè prospicit. Illud mirum, immo mirissimum, ipsum Oziam passum esse, se in hanc sententiam flecti, neque spem supra vulgus extendisse. Nam etsi dixerit: *AEquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam* (quibus verbis ostendit, bene se nosse, ad quem, tanquam ad sacram anchoram, in vltimis rebus, sit confugiendum) tamen *cum cognouisset Deum, non sicut Deum glorificauit*, sed terminum illi fixit, inquiens; *Si autem, transactis quinque diebus, non*

Rom. 1. 21.
Iudith. 7. 25.

non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis. O miserandi Præsules, qui non vobis legem scientibus populum, sed vos populi erroribus accommodatis! Quid præestis, si subestis? Quales Duces vocabo, si vos duci sinitis? Diu durauit obsidio; diu bellum; ferre ampliùs non potestis: actum est: extrema consilia sunt circumspicienda: hosti omnia annuenda: sic arma quiescent: sic pax dabitur, inquitis; cuius conficiendæ alia nulla superest via. At Deus superest. Non me, sed virilis animi feminam audite, ad Oziam Principē Iuda, & ad presbyteros Chabri & Charmi sic perorantem: *Quod est hoc verbum*, inquit, *in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies nō venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei*, &c. *Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes gentes, quæcunq; insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster. Et nunc fratres, quo-*

Iudith. 8. 10.

Ib. ỳ. 20.

niam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite, vt memores ſint, quia tentati ſunt patres noſtri, vt probarentur, ſi verè colerent Deũ ſuum. Quod vbi exemplis confirmauit, hunc, noſtris quoque deſperatoribus, & *Domini cauſſam* deſerentibus, appoſitiſſimum epilogum adiecit: *Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his, quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini, quibus quaſi ſerui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram, eueniſſe credamus.* Si iam Politicorum noſtrorum ſuffragia colligere mihi liceret, an non plures, cum populo, cum presbyteris ſentire, quàm cum Iuditha, deprehenderem? At *non eſt iſte ſermo, qui miſericordiã prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accẽdat*. Non ponamus ergo *tempus miſerationis Domini, & in arbitrium noſtrum, diem conſtituamus* Deo; ſed *expectemus humiles conſolationem eius*. Si viri deſint, ſi deſint heroës, etiamſi nullus adſit Achilles, nullus Aiax, nullus Priamus, (quod non dixerim) ſi tamen Deus auxiliari nobis voluerit, vel per feminam nos liberabit. Quò deſperatiores ſunt res noſtræ, eò luculentiùs eſt auxi-

auxilium diuinum; sicut & medico gloriosius est, si pellat morbos, qui incurabiles videbantur.

§. XII.

Aliud, in alia Heroide, quæ & Deiparæ Mariæ figura fuit, in summo discrimine miserentis Dei exemplum.

Tale periculum etiam Iudæis impendebat, per omnia Assueri regna, cum Aman (cui supercilium vastum erat, & tantum, quantum barba) totius gentis interitum, decem millibus talentorum, vellet mercari. Iam consenserat Assuerus, *vocatiq; sunt scribæ regis, mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis: & scriptū est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarumq; gentium, vt quaeq; gens legere poterat, & audire, pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atq; delerent omnes Iudæos, à puero vsq; ad senem, paruulos & mulieres, vno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.* Atque vt videamus, rem in extrema tegula stetisse, jam *in Susan pependit edictum*; iam cuncti Iudæi, Esther. 3. 8.

cum Mardochæo, in luctu & lachrymis erant; quin & *Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsq; ad fores palatij gradiens. In omnibus quoque prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat, apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere, multis, pro strato, vtentibus.* An non hoc periculum erat capitale? Sed vt & summum fuisse intelligam[9], reginæ Esther, in cuius ope sola spes omnis erat sita, via ad regem fuit intercisa. *Omnes serui regis, & cuncta, quæ sub ditione eius sunt, norunt prouinciæ,* ait Esther, *quòd siue vir, siue mulier, non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absq; vlla cunctatione statim interficiatur: nisi fortè rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, atque ita possit viuere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?* Huc vsq; periculum vidimus; sed, vt vel M. Tullius dixit: *discriminum periculorumq; comites dij:* quare neque hîc defuit Dei auxilium. Itaque sicut, per Iudith, Bethuliæ dedit libertatem, ita &, per Estherem,

Esther 4. 1.

Cic. l. 2. de Nat. Deor.

rem, Iudæis vniuersis illius amplissimi regni, incolumitatem conseruauit, perspicuâ & vaticinante figurâ, sic olim etiam, per Dei Matrem & cœli Reginam, in deploratissimis hominum rebus, auxilium à Filio eius impetrandum. Vnde & Filius, & Mater est *Spes nostra*. Filium sic vocat Paulus, quia est caussa nostræ spei, & *obiectiua;* speramus enim Christi visionem: & *effectiua* ac meritoria; quia non per Moysen, aut cæremonias legis, sed *per Christum Dominum nostrũ,* eius scilicet meritum & auxilium gratiámque, speramus periculorum malorúmque omnium tolerantiam aut liberationem, ipsámque etiam æternam beatitudinem: & *finalis* denique; ille enim est spei & patientiæ, & omnis virtutis nostræ finis. Matrem autem Christi etiam *spem nostram* vocat Ecclesia, non quasi illa, per se & immediatè, sit *spes nostra,* sed quia per illam mediatè speramus, nempe precibus illius, bona, quæ petimus, nos, apud Christum, impetraturos; sicut Mardochæo & Iudæis, apud regem Assuerum, gratissima, & hinc potentissima regina Esther impetrauit. Hoc fuit consilium Dei. Dum Estherem euexit, iam, destinatione sua, protexit Iudæos. Quod con- 1. Tim. 1. 1.

silium illi Mardochæus ante oculos posuit, vt eam moueret, ad causam populi sui, apud regem, agendam. *Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnũ veneris*, aiebat, *vt in tali tempore parareris?* Talis *spes nostra* est & Maria, super omnes choros Angelorum exaltata, vt, *in tali tempore* tribulationis, tanquam mediatrix nostra, pararetur; per quam, cũ iam actum esset de nobis, Christum primariam spem nostram accepimus. De quo beneficio itidem est aliquid à nobis memorandum. Nam omnia veteris Testamenti, in hoc argumentum, exempla afferre, immensum esset opus.

Esther 4, 14.

CAPVT II.

Aliunde Relictorum Deo maiorem curam esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Paßionis, & mißionis S. Spiritus mysterio ostenditur.

§. I.

Status hominis, in iustitia originali, existentis.

CYrus potentissimus, & quondam nobilissimus Persarum rex, præstans ingenio atq; imperij gloria,

cum Persæ, vt refert Plutarchus, cuperent, pro suâ montanâ & asperâ, planam & mollem regionem occupare, non permisit, quòd diceret: *Vt plantarum semina, sic hominum vitas regionibus similes fieri.* Ita mihi videtur etiam diuina sapientia iudicasse: judicauit enim præstare, vt non omnia sint in mundo plana; & adeò censuit, melius esse de malis bona elicere, quàm mala, in Mundo, non permittere. Inter sum̄a autem mala est peccatū, fons & radix omnis mali. Ante Mundi creationem, homo, æternùm retro, nihil erat. Ex eo nihilo, velut è tenebris in lucem, ita in suam naturam & vitam productus est, forma, specie, proprietatibus, & omnibus ornamentis naturalibus dotatus. Inter quas dotes, cum & ratio esset atque intellectus, quibus ad similitudinem & imaginem Dei accessit, statuit eum diuina bonitas sibi etiam similiorem reddere, & ad statum supernaturalem extollere. Quare naturæ illius gratiam, velut auro gemmam, superaddidit, vt eum ad altiorem ordinem, statumq́, diuinum eleuaret; in quo naturalibus donis instructo etiam bona diuina communicarentur. Itaque, præter infusam naturalium rerum cognitio-

nem, etiam fide illum diuina ornauit, qua Deum, tanquam finem quoque supernaturalem supremámq; beatitudinem suam obiectiuam, cognosceret: spe eum instruxit, vt ex Elysijs illis campis, & amabili, sed terreno Paradiso, ad maiora cœlestiáq; gaudia, meliore flamma incensus, anhelaret: charitate diuinâ inflammauit, vt cor illius, siderei ignis vi, sursum ferretur: justitia originali decorauit, vt omnes illicitos motus haberet in potestate; denique, ne vllum decus deesset, nulla illi virtus defuit. His tantis auxilijs firmatus æternam vitam, planissima via, erat aditurus, si voluisset.

§. II.

Cur homini libertas arbitrii à Conditore data?

Quia verò nihil coactum est gloriosum, libertas arbitrij est illi relicta. In æquilibrio positus, quò libuit, potuit se se sponte inclinare. Hinc vel laus, vel vituperatio omnis. Arbitrio vtenti vel præmium, vel pœna decernitur. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino*, ideò bona promissa semper duratura. Hac

Eccli. 31. 10.

de

de caussa *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illũ, in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris,* inquiens, *mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Igitur arbitrij libertas homini à Conditore est data, non solùm, vt etiam hac imaginem & similitudinem Dei præ se ferret; sed etiam, vt præclarior esset gloria, quam mereretur, & non coactis laboribus partam acciperet. Bestias, etiam si sudent, & plus, quàm vlli homines, laborent, nemo censet honore dignas; carent enim libertate, qua laudem honorémque mereantur. Quapropter *multa sapientia Dei* fuit, in homine creando, quem tantum non fecisset, si liberum non fecisset; etiamsi fecisset sempiternæ beatitudinis capacem. Posuisset enim eum in cœlo, sine suo merito, &, sine spontaneæ seruitutis gloria, fecisset gloriosum; sicut si truncus, qui pedibus ire non potest, alienis manibus, in regio palatio collocaretur; quem nemo laudat, quòd eò se ipsum promôrit.

Eccli. 15. 14.

§. III.

§. III.

In quanta homo mala, per peccatum, lapsus sit?

Hunc ergo talem tantúmque hominem, diaboli inuidia atque fallacia euertit, &, per peccatum, è supernaturali statu, in exitium præcipitauit. Hoc enim casu, in quantum malum non deuenit? Amisit diuinam charitatem; perdidit cœlestem gratiam; iustitiam originalem exuit; induit maledictionem & animi & corporis, *sicut diploidem*: omnium virtutum (excepta fide & spe, vt resipiscere posset) fecit iacturam: deniq; æternæ salutis naufragium passus in Oceanũ cecidit omnium calamitatum. Vnde & singularis illa Dei protectio directióq; illi subtracta est: & appetitus cæpit recalcitrare, frænóque rationis excusso, tanta fuit ad malum procliuitas, vt iam nihil propemodum, nisi peccare posset; tanta vis & lubido cupiditatis ad delinquendum, vt à nullo, nisi solo Deo, posset sisti & coërceri; tanta imbecillitas ad ipsas etiam naturæ leges obseruandas, vt, sine cœlesti auxilio gratis suppeditato, obseruare eas non posset. Itaq; & iure cœlestis gloriæ exciderat, & naturam suam ita debilitauerat, vt illa sibi relicta, instar plumbi, suopte

Psal. 108. 19.

ópte pondere & impetu, deorsum caderet, & de peccato in peccatum lapsa, profundiorem semper Infernum, attrocioráque supplicia æterna commereretur. Sic homo creatus, vt, in cœlo, beatus & Deo fruens regnaret, peccati seruus, cacodæmonis mancipium, & Auernalium flammarum futurum pabulum factus, nonne in profundum venit? nonne lapsus est in ipsum pelagus miseriarum? nonne dicere potuit? *Veni in altum, tempestas demersit me:* Ex nihilo conditus, *ad nihilum redactus sum.* Psal. 68. 3. Psal. 72. 22.

§. IV.

Solus Deus hominem à peccato liberare potuit. Et cur?

Quis eum inde potuit eripere? Ionam, cum in mare proiectus esset, & iam *in ventre piscis tribus diebus, & noctibus*, densam noctem pateretur & atrum carcerem; nemo potuit liberare, nisi ille ipse, qui ventum & mare, & procellas concitauit. Sic neq; hominem, peccato, in tanta mala, se iacientem, quisquam alius retrahere potuisset, nisi qui hominem hæc mala meritum, ijs, velut supplicij tempestate, inuoluit; vt illum idem, qui fecerat, reficeret; & qui creârat ex nihilo, recrearet. Magna opera magnos exigunt Ion. 2. 1.

magi-

magistros; & extremi morbi extremis indigent medicinis. Igitur, ob protoplasti nostri delictum, malum hominis tam atrox, támque inolitum fuit, vt à nulla, nisi diuina manu, posset eradicari. Quæ enim persona, nisi diuina, hominem, in diuinum ac supernaturalem statum, reposuisset? Nomina quidquid naturale est, infra est. Iacebat homo, lethaliter ictus seipsum erigere non poterat. Sed neq; Angelus poterat, cuius non est gratiam diuinam, hoc est, spiritualem animæ vitam infundere. Vndique ergò erat homo destitutus: seipsum iuuare non poterat Deo mortuus; neque ab alio aut homine, aut Angelo, multóque minùs à bestia poterat iuuari. Solus supererat Deus, solus iuuit Deus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus. Is ergo, cum alia remedia omnia deessent, intimis misericordiæ visceribus commotus, humano generi succurrit. Quod etsi solus potuit, multis tamen modis potuisset. Sed quia nullus fuit conuenientior, aut nobis vtilior mod⁹, quàm vt, pro præteritis hominũ peccatis, æquiualens iustitiæ diuinæ satisfactio fieret, &, pro futuris, remediũ perenne compararetur; Deus ipse de cœlo descendit, *vt saluum*

S.Thom. 3. p. q. 2. a. 2.

lutum faceret, quod perierat. Nulla enim pura creatura, nullus homo; aut Angelus, qui non idem esset Deus, potuisset satisfactionem tantæ offensæ æquiualentem præstare, cum tanta sit vnius mortiferi peccati malitia, & in infinitam Numinis maiestatem iniuria; vt omnibus omnium & hominum & Angelorum fidei, misericordiæ, charitatis, aut pœnitentiæ operibus, omnibus religionis actibus, omnibus orationibus, omnibus sacrificijs, ad iustam æqualitatem, non possit compensari. *Non dabit Deo placationem suam* (homo) *& pretium Redemtionis animæ suæ*, inquit Dauid. In quæ verba S. Basilius ita scribit: *Neque igitur fratrem quære in redemtionem; sed Deum, qui excedit naturam tuam. Neque hominem nudum; sed hominẽ Deum IESVM Christum; qui etiam solus placationem dare potest, pro omnibus nobis.* Et Athanasius: *Cuius*, inquit, *opera, ad recuperandam istam gratiam, requirebatur, nisi solius Verbi? Eius etiam fuit, id quod corruptibile erat, iterũ ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus; id, quod æquum, rationique consentaneum erat, Patri præstare.* Denique S. Leo ait: *Talis Natiuitas decuit Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qua nobis & humilitate congru-*

S. Bonauent. 3. sent. dist. 20. art. 3.

Psal. 48. 8.

S. Basil. in Psal. 48

S. Athanas. l. de Incarn.

S. Leo serm. 1. de Natiu.

grueret, & diuinitate praecelleret. Nisi enim esset Deus, non adferret remedium; (quia non adferret pro iniuria Deo illata aliud ęquiualens, neque constitueret perennem & inexhaustum reconciliationis fontem; quo peccata, in quæ quotidie incidimus, delerentur) *nisi esset homo verus; non praberet exemplum:* non haberet meritum, non offerret satisfactionem.

§. V.

Admirandum Dei, pro hominibus tam sceleratis; humanam naturam suscipientis consilium.

Quoniam ergo extinguendæ iræ diuinæ atque æterni ignis euadendi, recuperandiq; iuris ad cœlestem hæreditatem nullum, neq; in terris, neque in cœlo, neque apud homines, neque apud Angelos, neque apud vllam aliam creaturam remedium inueniebatur; atq; ita vel diuinæ iustitiæ satisdari non potuisset, vel homo æternùm debuisset perire; fecit Deus immensum & infinita sua misericordia dignum opus, opus omnibus seculis inauditum, omnibus gentibus admirandum, ipsi cœlo obstupescendum, ipsis Angelis ineffabile & incomprehensibile, cũ illud nunquam satis laudatum, nunquam satis perpen-

pensum Incarnationis consilium excogitauit, & Christum, sapientiam increatam, per quam creata sunt omnia, *proposuit propitiationem, per fidem; in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum; in sustentatione Dei.* Rom. 3. 25. Qui cum eum Mundus odisset, & partim, ob primi hominis peccatum, partim, ob aliorum hominum innumerabilia fornicationũ, adulteriorũ, incæstuum, Sodomiarum; furtorum, rapinarum; cædium, homicidiorum, parricidiorum, idololatriarum, veneficiorũ aliarúmq; detestandarum abominationum crimina, non iam Mundus, sed planè immundus dicere illud Mimi, apud Gellium, posset: *Similis sepulchris nil nisi nomen retineo,* atque viciffim Dei odio, immo Orco, dignissimus esset; tamẽ & tunc *Sic dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat; sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. 16. Quis fur patibulo adiudicatus à rege auderet petere filium regium, suo loco, in furcam agendum? *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret,* pro nobis, in infami ligno, suspendendum. Explicari satis non potest hæc bonitas: excedit omnem humanæ cogitationi-

Rom. 5.8. mensuram. Miris igitur modis *commendat Deus charitatem suam in nobis : quoniam, cum adhuc peccatores essemus ; secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est : multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira, per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filij eius : multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Vix legimus, aliquem Dominum, pro seruo, mortuum, sed seruos pro Dominis duntaxat. *vix etiam, pro iusto quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori?* vix pro benefactoribus aliqui vitam suam obtulerunt; maximique fiunt martyres, qui pro Redemptore suo mortui sunt. At tanta est Dei misericordia, vt Dominus, pro seruis, justus pro iniustis & in peccato mortuis, bonus pro impijs, benefactor maximus, pro maximis malefactoribus & peccatoribus, quibus nihil obligatus erat, vitam, animámq; posuerit. Nonne hoc fuit, omnem omnium hominum superare charitatem? immò & cogitationem transcendere? Tales autem fuisse homines, pro quib⁹ Seruator mortem oppetijt, si non omnes hi-

Osee. 4.1. storiæ testarentur, vel Oseas abunde ostenderet illis verbis : *Audite verbum Domini, filij Is-*

lij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Quid hæc scelera, apud diuinum tribunal, commeruêre? Mox subiungit: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Propter hoc pestes, bella, & totos fulminum milliones, atque æterna, in Tartaro, incendia Mundus meruisset. Siquidem *eramus natura filij iræ. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, consedere fecit in cœlestibus, in Christo IESV: vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate, super nos, in Christo IESV.* Ibid. ℣. 3. Ephes. 2. 4.

§. VI.

Incomprehensibilie diuinæ bonitatis iudicium esse, in mysterio Incarnationis.

Titus Vespasianus, ob eximias animi dotes, olim dictus est, *Amor & deliciæ generis humani.* Christo hoc elogium debetur, cui Sueton. in Vespasian. c. 9. Psal. 17.

longè rectiùs dicitur: *Diligam te Domine, fortitudo mea:* Amor meus, deliciæ meæ, qui diligis etiam odientes te. Nam qui hinc non discit admirari judicia, amare bonitatem, & sperare misericordiam immensam omnipotentis Dei, nusquam discet. Quis nõ obstupescat iudicium Numinis peccatores amantis, & in tantum amantis? Bonum est, quod amare solemus: quod pulchrum, quod formosum, quod eruditum, quod pretiosum, quod nobile, quod jucundum, in summa, quod bonum est, amamus. Quid, in homine tunc deformissimo, pulchrum? quid, in fœdissimo peccatore, formosum? quid, in tantis ignorantiæ tenebris & vmbra mortis sedente, eruditum? quid sapiens? quid, in vilissimo diaboli mancipio, preciosum? quid, in titione Inferni, nobile? quid, in tanta animi amaritudine, iucundum inueniebatur, quod Deus amaret? Peccato contaminati, justo iudicio, in protoplasto, damnati, cæci, miseri, abiecti eramus; & tamen etiam tunc *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Non capit hoc ratio humana, excedit tam grande mysterium mortalium intelligentiam; sed non excedit increatam bonitatem. Quid-

Ioan. 3. 16.

quid

quid in Deo est, immensum est, ergo & immensam decet esse charitatem. Rursusque immensæ charitati conuenientissima est, immensa misericordia, & immensa sui communicatio, quæ, in Dei Verbo, pro homine, humanam naturam induente, nobis est manifestata. Dederat Agesilaus rex ingens donum cuidam plebeio, quod cum ille verecundè recusaret, dicens: *Hoc esse nimis magnum pro se*, respondit rex: *At non est magnum nimis, pro Agesilao.* Ad eundem modum, *Deus, qui diues est, in misericordia, propter NIMIAM* (id est, valde magnam, aut NIMIAM respectu hominum tam miserorum & indignorum, nõ autem respectu Dei immensè boni) *charitatem suam, qua dilexit nos, & , cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos, in Christo.* Itaq; turpes amauit, vt pulchros efficeret: deformes amauit, vt faceret formosos; insipientes amauit, vt redderet sapientes: viles amauit, vt precio sanguinis sui efficeret preciosos: mancipia amauit, vt reponeret in libertatem: inopes amauit, vt diuitijs & thesauris cœlestibus locupletaret: miseros & miserabiles amauit, vt ad æternam gloriam, felicitatémq; perduceret. Nemo igitur, cum hanc cha-

ritatem cogitat, amorem humanum cogitet, qui fundum habet ac terminos, &, si hîc comparetur, velut fumi vmbra est. Alia est amoris diuini profunditas, alia celsitudo, alia nobilitas alia excellentia, qua omnem creatam charitatem infinities transcẽdit. Homo amat id, quod est bonum, atq; ita hominis amor fundatur in obiecto, quod reperit; Deus obiectum amando creat, amando enim facit bonum; vt adeò ratio amandi, non in obiecto amato necesse habeat fundari, sed sæpe in solo Deo amante existat. Siquidem, vt scribit S. Dionysius, idcirco Deus amat, vt sua bona malis communicet, amorémq; suum in ipsos hostes transfundat, atque ita ex inimicis amicos, ex aduersarijs filios hæredésque faciat. Quod, quo quisque maiores fecit in charitate progressus, amorémque habet ardentiorem, eò impensiùs imitatur, diligítque & ipse inimicos suos, non quia boni, sed quia ipse bonus, communicata bonitate sua, è malis, vult bonos facere, eósque sibi assimilare. Etsi autem conatum maximum adhibeat, infinito adhuc, à Dei amãtis charitate, distabit interuallo: adeò, vt etiam de Seraphico aliquo amore, & eo, qui Dei est, dici possit:

S. Dionysius lib. de diuin. Nomin.

Pro-

Proximus huic, longo sed proximus internallo.

Et tamen mandatum est, vt, etiam in hac tam ardua virtute, Deum imitemur. Nam antè, quàm Christus diceret: *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est;* praemisit, in quo perfecti esse debeamus, adeóque in qua re cœlestis pater à nobis imitandus, perfectus sit, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui solē suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et, si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Aliter Pater vester cœlestis, cuius perfectio vobis imitanda proponitur, fecit; ille ita bonus est, vt etiam malos amet, nec filiū tantùm diligat morigerum; sed prodigum quoque, qui omnia sua cum meretricibus dissipauit, amplectatur peregrè redeuntem. Hoc inquam, argumento, qui non discit amare ac imitari diuinam bonitatem, nullo discet. Sed & sperare discunt vel sceleratissimi pec-

Matth. 5. 48.

Luc. 15. 20.

catores. Sint homicidæ, sint parricidæ, sint sacrilegi, sint mille diabolis proprij sanguinis chirographo obstricti, ac mancipati; sit, qui tot flagitijs tantísque solus, quot & quanta à condito orbe, per omnes vel Angelos, vel homines sceleratos, sunt perpetrata, cooperiatur, tamen diuina bonitas maior, charitas grandior, misericordia efficacior est, quia infinita. Quare, sicut scintillam extinguit Oceanus, ita hæc omnia crimina delere potest diuinæ bonitatis, misericordiæ & charitatis, nulla vnquam malitiæ aut magnitudine, aut multitudine, exhauriendus thesaurus. Vt quid ergo vllus est peccator; qui de venia desperet? vt quid adeò vllus mortalium est excors, vt non vtatur, per pœnitentiam, thesauro tantæ bonitatis, misericordiæ, & charitatis? Planè qui hæc rectè credit, non desperat; & quisquis desperat, non rectè credit.

§. VII.

Passio Christi, & S. Spiritus missio, quantum beneficium?

Spei fiduciæque huic addit ingens incitamentum S. Spiritus missio, tot secum dona è cœlo trahens. Magnum quid esset, si is in Dei Matrem, si in Apostolos, si in simpli-

ces, & idiotas, ac piscatores duntaxat missus, à Deo Patre & Christo, esset: longè tamen admirabilius est, eũ missum esse & mitti quotidie in eos, qui participes fuerunt crucifixionis ac mortis Christi; aut qui inter barbaras gentes, idola adorauerunt, aliósque maximos peccatores, si modò ad eum recipiendum, per ipsiusmet gratiam, se disponant. Quo in opere, & pater misericordiarum, & Filius diuinæ sapientiæ thesaurus; & Spiritus S. æternus amor, & tota denique Trinitas infinitam liberalitatis suę bonitatem declarauit. Dominus vineæ, ob filium suum extra vineam eiectum occisùmque, communi calculo, *malos* agricolas *malè perdidit.* Quid Deo Patri erat agendum, ob Filium suum extra Ierusalem eiectum atque in infami arbore suspensum, eiectúmq; etiam è vita? Nuncquid, sicut Elias quondam, ignem de cœlo deuocare debuisset, qui Christicidas momento deuoraret? Enimuerò ignem de cœlo misit, quando *linguis igneis* immistum misit S. Spiritum; sed ignẽ qualis olim rubum illustrauit, non cremauit, quíque corda, non corpora, inflammaret. Sic, pro odio, amorem reposuit. Sic, *cum inimici essemus, dilexit mundum, vt Filium suum*

Matt. 21. 37.

Actor. 2.

um vnigenitum, Verbum intellectus sui; & Spiritum S. voluntatis suæ Amorem, adeóque, quidquid ab ipso procedebat, *daret*. Sic,
Iacob. 1. 17. vindictæ loco, *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum*. Qui, si sic diligit Mundum inimicum, quid gratiæ amicis est facturus! Sed & illud nullis satis verbis potest explicari,
Ioan. 1. Filium Dei, postquam *in propria venit, & sui eum non receperunt*, immò postquam tam dirè ab hominibus tractatus est, non modò inter ipsos cruciatus, dixisse: *Pater, dimitte illis*: sed etiam illos ipsos pro eis cruciatus ac mortem obtulisse; & rediuiuum, atq; in cœlestem gloriam ingressum, Spiritum S. qui à Patre Filióque procedit, insuper misisse. Qua
Psal. 67. 19. Ephes. 4. 8. de caussa & Dauidi mirabilis visus est *ascendens in altum, & dans dona hominibus*. Socratem mirati sunt veteres, discipulos suos iubentem persoluere mercedem, ijs, à quibus læderentur; mirentur potiùs Christum dona dantem, & quidem maxima, illis, à quibus sputis fædatus, flagris laceratus, spinis, clauis, lanceis confossus erat. Quid hoc aliud est, quàm euidentissimum infinitæ bonitatis argumentum? Filij hominum peregrè grauia passi, de malo lædentibus dando

cogi-

cogitant, cum domum reuertuntur: Filius Dei, innumeris contumelijs, iniurijs, plagis affectus, ad astra *reuersus, vnde venerat*, dona mortalibus est lagitus, qualia nemo, nisi Deus, dare potuisset. Nimirum vt arbores quædam sectæ vulneranti dant balsamũ, sic bonus Deus adeò est bonus, vt bona reddat, à quibus mala accepit; quare per omnia Christi vulnera toti beneficiorum torrentes proruperunt. Quis talem Dominum non amaret? Sed & illud obstupescendũ est, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam Spiritum sanctum, postquã secunda persona Dei Filius tam barbarè est ab hominibus acceptus, nihilominus ad homines descendere voluisse. Columba, cum non inueniret *extra arcam, vbi requiesceret pes eius,* ad arcam reuolauit: noluit enim, in eodem luto, cum coruo hærere. S. Spiritus, columbæ forma & indutus & expressus, à Christo, secundo Noë, è cœlo, missus, ah quæ non pectora inuenit, quàm, sordida? quàm scelerata? quàm in ipsum S. Spiritum blasphema? Et tamen neq; illa horruit. Quantos enim non adduxit, ad pœnitentiam, peccatores? quæ non exciuit flumina lachrymarum? Nimirum, vt, Noto flante, cadunt imbres, sic Gen. 8. 9.

flabit

Psal. 147. 18. *flabit Spiritus S. & fluent aquæ*, ex oculis delicta sua detestantium. Hæc nimirum est abyssus diuinæ bonitatis, hæc totius Trinitatis immensa liberalitas, nullum ab hoc dono excludit, quantumuis fuerit nefarius; modò, per gratiam excitantem, pulsante S. Spiritu, se disponat, ad donum istud recipiendũ. Quia *non est personarum acceptor Deus*, Act. 10. 34. *sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*, accipitque S. Spiritum. Qui per excellentiam appellatur, *Donum Dei altissimi*; est enim omnium donorum maximum, & eorum fons & origo, vt D. Thomas tradit: est *fluuius aquæ vitæ, splendidus tanquam crystallus, procedens de sede Dei & Agni, in medio plateæ eius*, eam irrigans. S.Th.1.p. q. 38. Apoc. 22. De quo Christus dixit: *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: Io. 4. 14. est lignũ vitæ, afferens fructus 12. *per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium*: affert enim 12. fructus, Gal. 5. 22. *Charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem.* Hæc omnia paratus est hostibus suis largiri cœlestis Pater, *qui pluit super iustos & iniustos*, dummodo velint acce-

aceeptare. Nam *qui pro nobis tradidit Filium* Rom. 8.
suum, quo modo non etiam, cum illo, omnia 32.
nobis donauit? Dixit olim iratus: *Non per-* Gen. 6. 3.
manebit Spriritus meus in homine in æternum,
quia caro est. At passione Filij placandus di- Ioel. 2. 28
xit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Si locutus fuisset de sola carne Christi, quæ est diuinæ personæ vnita, nihil esset mirabile: sed nunc ait: *Effundam Spiritum meũ super omnem carnem,* Spiritũ adeò preciosum, in tam vilia vasa iræ: hæc bonitas exuperat omnem sensum.

CAPVT III.

Alijs noui Testamenti exemplis, ante oculos ponitur, mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit.

§. I.

Beatissimam Dei Matrem Angelus, apud Iosephum defendit.

EX supra explicata immensa Numinis misericordia & bonitate, satis potest supérque intelligi, quasi morem Dei esse, vt, deficientibus vndique humanis auxilijs, auxilia faciat ipse diuina. Quod Christus, totâ vitâ suâ, demonstrauit.

Matth. 1. 19. uit. Deipara à Iosepho, præter expectationem, *inuenta est habens in vtero*: id à se non esse sciebat Iosephus, *de Spiritu sancto* esse, nesciebat. Iámque, *cum esset iustus, & nollet eam traducere*, seu accusare, & publico
S. Augustin. epist. 95. exemplo puniendā offerre, cœpit aliam dimittendi rationem longè honorabiliorem cogitare, ob magnam, qua præditus erat, charitatem. Gemini hîc scopuli: videbatur & Ioseph, & MARIA inter sacrum & saxum
S. Chrysost. homil. de S. Susanna. S. Aug. ep. 64. hærere. Nam siue, vt S. Chrysostomus, & S. Augustinus putant, Iosephus ideò Mariam dimittere voluit, quòd adulteram suspicaretur; siue dubitauit duntaxat, vnde, aut quo modo, concepisset: in magna anxietate, & inter fluctus extitit. Quis autem tunc Virgini animus, quis sensus fuit, cum & humilitatis amor eam non sineret mysterij tanti gloriam patefacere, & tamen amor honestatis, non sine cura innocentiam pateretur esse suspectam. Sed nimirum, quia homines defuerunt, qui caussam eius perorarent,
Psal. 119. 1. Psal. 17. 21. vsa est eiuscemodi verbis: *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Item: *Et factus est protector meus.* Adeste omnes anxij, adeste, quotquot in ambiguo iactamini, adeste quoscunque alij si-

ni-

nistris suspicionibus flagellant, & perpendite; quis innocentium; in dubijs casibus, sit adiutor. *Hæc, eo cogitante;* ait Euangelista, *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei; dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Videtis auxilium de cœlo? Si homines desunt; Angeli veniunt; & vno sermone vtrique succuritur. Sic extincta est suspicio; & defensa Virgo. Matth. 1. 20.

§. II.

Magi, peculiari diuina cura; ad præsepe ducti.

Magi ex prophetia Balaam dicentis: *Orietur stella ex Iacob;* cognouerant; Christo nascente; stellam orituram; vt Origenes, Epiphanius, & Basilius scribunt; aut certè, siue inspiratione interna; vt vult S. Leo; siue per Angelos bonos; vt existimat D. Augustinus; siue etiam per dæmones; vt vult D. Hieronymus; vel inuitis vocibus; vt aliquando coram Iudæis; confiteri coactos; natum esse regem Iudæorum; eúmque noua hac stella significari; didicerant. Nec contenti didicisse; volebant etiam cum muneribus venire ad eum adorandum. Sed nesciebant; *vbi* esset, *qui natus* erat *rex Iudæorũ.* Num. 24. 17. Orig. hom. 13. in Num. Epiph. in epitome. Basilius homil. de hnman. Christi gener. Leo serm. 1. de Epiph. Hieron. in 19 Isa.

Id

Id quoque, postquam Hierosolymis intellexerunt, tamen viæ ignari (inhumano Herode nec ducem eis adiungente) sine filo, sine Ariadna in terris succurrente, iter cæperunt prosequi, *& ecce stella, quam viderant in oriente; antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.* Nec tunc tantùm antecedere cæpit, sed ab Oriente vsque Hierosolymam. Additur quidem: *Videntes autem stellam; gauisi sunt gaudio magno valde*, è quibus verbis nonnulli colligunt; stellam Magis non fuisse totius viæ ducem, atqui si id rectè colligerent; etiam; ne visam quidem illis antea fuisse; quòd ita nunc; quasi antea non vidissent, ea visa lætentur. Illud ergo potiùs colligo; antea quoque stellam illis præuiam extitisse; sed, ad tempus, cum Magi Ierosolymis essent, & ab hominibus consilium peterent, disparuisse; postquam autem cum Herode consultare desierunt, iterum se eis videndam præbuisse. Ex quo perspicuè cognoscitur, ibi auxilia diuina incipere, vbi humana desinunt; & sæpe auxilia diuina ibi desinere, vbi, illis relictis, conuertimur ad humana. Cæterùm hic locus, & hæc stella anteambulatrix, quemadmodũ illa *columna ignea*; velut quædam cælestis laterna

Matth. 2. 9.

Exod. 13. 21.

terna Israëlitis prælucens, idcirco mihi etiam commemorari videntur, quòd existimare nos velit S. Spiritus, opem de cœlo mitti ijs, qui in terris auxilium omne amiserunt.

§. III.

Christus Herodi, Petrus carceri, per Angelum, ereptus.

Quod ipsum etiã ex historia mox adiuncta potest doceri. *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.* Credibile est, iam prope adfuisse carnifices, qui puerum quærebant, alioquin enim, non, intempesta nocte, fuisset Iosepho fugiendum. Itaque nihil sciebat Ioseph, nihil MARIA, de Herodis inuidia, nihil de sanguinario consilio, securè dormiebant. Forsasse oppressissent eos armati antè, quàm quiescere desijssent. Non erant, qui præcurrerent, & de militum aduentu premonerent. Non excubabat, ante domum, satelles. Non erat Iosepho hasta, non framea, non vmbo, non arcus, non lorica, non galea: totum armamentarium constabat runcina, dolabella, lima, cuneo, terebra, scalpro. Matth. 2. 16.

His *argutæ lamina serræ*; ascia, bipennis similiáque accedebant; asseribus & arborum; non hominum, truncis secandis assueta. Iam ipsa imbellis Virgo, & puer infans quid fecissent? Christus potentiam habebat, sed nondum erat tempus eam exerendi; quod ætas exegerat, fecit, aliorum hominum more, suscepta fragilitate. Iam quid vicini opis afferre quiuissent? *conciliant* quidem *homines mala*, sed tunc illi se ipsos non poterant iuuare, cum eorum pueruli occiderentur; qua ratione igitur Iosepho succurrissent? Instabat itaque non iam Atticus aduena, ferox, & violentus, sed Herodiani carnifices è proximo imminebant, & recesserant iam Magi aduenæ Orientales; quorum authoritas pro clypeo esse potuisset; cũ *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum; & esto ibi vsque dum dicam tibi.* Ita, Angelo monente, expergefactus, de nocte fugit. Quod etiam de S. Petro legimus, *quando* ab alio Herode *seruabatur in carcere. Cum* enim *producturus eũ esset Herodes, in ipsa nocte, erat Petrus dormiens, inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.*

Aristot. 1. Rhetor.

Matth. 2. 13.

Actor. 12. 6.

Quis

Quis eum è catenis, è carcere, è militum custodia euasurum putasset? Sed tamen euasit ille. N*am ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussóq; latere Petri excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam* (adeò arctè tenebatur) *venerunt ad portam ferream* (tam dura erat custodia ac firma) *quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* In Iosepho igitur, ac Petro Deus ostendit, cum alia omnia humana præsidia desiunt, se, de cœlo opitulari: nec illud tantùm ostendit, sed insuper demonstrauit, quanti à nobis Angeli sint faciendi, qui, nobis dormientibus, solent vigilare, & pro nobis excubare, multáq;, no-

bis nihil facientibus, à capite nostro pericula amoliuntur. At nos ingrati, raro hanc & Dei prouidentiam, & Angeli curam agnoscimus, aut vndecumque agnitam, sæpe non pluris, quàm somnium (vt initio Petrus) aut nebulam, in pariete, æstimamus.

§. IV.

Deus, etiam cum dormire videtur, pro nobis vigilat; quod exemplo, in naui, dormientis Christi planum fit.

Quid quòd non solùm, homine dormiente, Deus pro eo vigilet, sed vigilet etiã tum, quando homini aut dormire videtur, aut dormitare? Quod sanè, sicut ostendit, quando iustitię suæ iram ostendit, *& excitatus est tanquã dormiens, tanquam potens crapulatus à vino & percussit inimicos suos;* ita etiã patefecit, quando, in summo rerũ cardine, homines versabantur. In lacu, seu stagno Genesareth, ob magnitudinẽ, maris nomen sortito, non triremem, sed exiguam atque piscatoriam cymbam nacti discipuli cum Christo vehebantur. Ibi Christus, non simulato, vt quidam putant, sed vero naturalíque, quamuis, credibiliter, voluntario & procurato somno dormiebat. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.*

Psal. 77. 65.

Matth. 8. 24. Luc. 8. 22.

ctibus. Crediderim etiam, non casu, aut natura, sed consilio prouidentiáque Christi, tempestatem exortam, vt Apostolis, & diffidentia sua innotesceret, & Magistri dormientis quoq; cognita fieret vigilantia. Sæuiente igitur vento, & procellis in nauim insilientibus, bene madidi vectores *accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eũ, dicentes: Domine salua nos, perimus.* Deserti vndique meritò, vt saluarentur, confugerunt ad Saluatorem: nulla enim alia est tam sacra anchora. Et tamen eos increpans ait: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Ita legimus, Iulium Cæsarem naui vectum, cum nautam videret metuentem, dixisse: *Cæsarem vehis, & times?* quasi Cæsari, in vndis, nihil posset aduersi contingere. Non Cæsar, sed Christus erat vndarum Dominus, qui discipulos suos non reprehendit, quòd ad eum, in extremo discrimine, confugerent, sed quòd, eo præsente, licet dormiente, timidi essent, ac trepidarent, & non potiùs crederent, eum dormientem vigilare, atque non secus, ac si apertis, leonis more, oculis foret, omnia intueri. Vt tamen discerent, quantum opis sit situm in illo, ijs, qui ad eum clamant, vel iam iam perituri: *Tunc surgens imperauit ven-*

 tis

tis & mari, & facta est tranquillitas magna. Nullus vnquam fingitur à Poëtis Neptunus cœlum tempestatésque tam potenter imperando serenauisse. Nam etsi nec venti audiant, nec mare, nec morbi; tamen ita obediunt ei, ac si audirent, imperiúmque eius intelligerent: quo pacto etiam surdi, & mortui vocem eius audierunt. Certè tempestates atque morbi sæpe per malos spiritus immittuntur, quos Dauid vocat, *immißiones per angelos malos*; igitur increpat ventos Christus, ijsque imperat, ac si malis spiritibus loqueretur. Sunt enim Aquilones, & pestes, & dæmones, in eius potestate.

Psal. 77. 49.

§. V.

D. Catharinæ Senensi Christus maximè adfuit, cum maximè abesse videretur.

Nihil proinde nobis, præsente Christo, est metuendum. Etsi absens videatur, adest; vti S. Catharinæ Senensi tentatæ & interroganti: *Vbi eras?* respondit, se cum illa fuisse, & pugnam victoriámq; illius spectauisse. Libet verbatim referre vtilissima tentatis documenta, quæ in vita illius ponit Raimundus ista: *Cum virgo Catharina Senensis, multas, à dæmonum insectatione, molestias, pro nomine Saluatoris, pateretur, illis fugatis, lux cœli-*

Raimūd. in vita S. Cathari-

cœlitus illapsa est cubiculo, & in ea luce Christus crucifixus ei apparuit dicens: Flia mea Catharina, vides, quæ ego, tua causa, perpessus sim? non igitur dubites tu quoq; , propter me, aliquid perpeti. Deinde sub alia specie magis propinquans, blandè ei gratulabatur, de triumpho iam obtento. At illa, vbi, inquit, fuisti, mi Domine, cum esset cor meum tot spurcitijs diuexatum? & ille, in corde tuo, inquit. Rursus Virgo: at qui fieri potuit, bone IESV, vt tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? Respondit Dominus: cogitationes illæ, quid in tuo efficiebant animo? gaudiúmne, an mœrorem? Immò verò, inquit illa, non nisi summum dolorem. Hoc igitur, Christus ait, ego mea præsentia efficiebam: quia si tu ea destituta fuisses, illis spurcitijs delectata esses; iam verò cum eas profligare velles, nec posses, inde mœror oriebatur: sed me authore & effectore, qui erã intus in corde tuo, & tuebar illud, interim te intus sinens oppugnari, quantum videbatur expedire tibi; sed quando illustrata radio lucis meæ te ipsam sponte obtulisti ad tolerandas eas infestationes, mox eas abscedere iussi: neque enim pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autem, filia mea, quando non tua, sed mea

næ apud Sur. tom. 2. 29. April.

virtute certasti viriliter, maiorem à me gratiam consequeris, & deinceps crebriùs atq; familiariùs me ipsum tibi exhibebo. Itaque, etiam cum videtur abesse Christus, adest; & tum maximè, quando eum dormire maximè existimamus. Nam, etsi videatur dor-
Cant. 5. 2. mire, tamen *cor* illius *vigilat. Ecce non dor-*
Psal. 120. 4. *mitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Quæ diligenter animo imprimere debent, quos paulo diutiùs aduersis probat orbis Moderator. Sinit flare ventos, turbari maria, furere tempestates; veniri ad extrema, vt & homines ad eum veniant. Neque statim procellas tranquillat; quin neque statim semper inuocantes exaudit, sed audire se dissimulat, vt in-
Matth. 14. 30. citet ad fortiùs clamandum. Quare ijs, qui *timidi* sunt & *modicæ fidei*, dormire videtur, cum intentissimè vigilat; & adest, cum abesse putatur, sicut adfuit discipulis etiam aliàs, & Petro ambulanti super aquam, *cum cœpisset mergi.* Stulti igitur sunt, & tardi ad credendum, qui se à Deo, cum non statim adest, deseri autumant, & alium quærunt
Aristid. in orat. cō- ex Orco opitulatorem. Reprehensus est ab Aristide & Diogene Plato quondam, quòd,

reli-

relictis Athenis, Syracuſas in Siciliam, ad Dionyſium nauigaſſet tyrannum. Qua reprehenſione digni erunt, qui, Deo relicto, currunt ad veratores, ad magos, ad ipſum cacodæmonem maximum omnium tyrannorum, & capitalem humani generis inimicum? Nimirum, qui ex patre diabolo ſunt, ad diaboli opem anhelant, ſicut in prouerbio dicitur: *Bos alienus ſubinde foras proſpectat.*

tra Platonem Laërt. in Diog.

Plutarchu in Symp. decad. 8.

§. VI.

Hæmorrhoiſſa à medicis deſperata ad Chriſtum confugiens ſanatur.

Non ſic fecit *mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis;* quæ, vt Marcus, ſignatiſſimè addit, *fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.* Atque, vt Lucas ait, *quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit curari.* Quid ergò à medicis deſperata fecit? Credidit, Chriſtum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progreſſa, vt videretur, ſed *acceſsit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* Obſeruat S. Auguſtinus, non om-

Matth. 9. 20. Marc. 5. 26. Luc. 8. 43.

lib. 6. in Luc.

S. Ambr. lib. de Salomone. c. 5.

ceduunt. *Hæ tangunt* [illegible] sius. Hoc ergo fecit mulier, quam idem D. Ambrosius alibi Martham Lazari sororem fuisse opinatur; at Eusebius, & Sozomenus, probabiliùs scribunt, ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ postea Saluatori suo statuam, ante ædes, posuerit æternum accepti beneficij monumentum. Quid ergò huic mulieri, quæ à nullo medico *potuit curari*, fecit Christus? *Conuersus, &* iam etiam corporeis oculis *videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Sic curat Christus, quos nemo potest curare: immò, qui *multa perpetiuntur à compluribus medicis, & erogauerunt omnia sua, nec quidquam profecerunt, sed magis deteriùs habebant.*

§. VII.

Hæmorrhoissæ exemplo, Reliquias Sacras, tanquā diuinitus salutares, esse venerandas.

Et fieret hoc frequentiùs, si mulierem hanc plures imitarentur, ac saltem, postqua[illegible] tis experti [illegible] hominu[illegible] salu[illegible]

re huius mulieris, siue humilitate, siue pudore, non audent ipsum Christum compellare, vel retro accederent, & *fimbriam vestimenti eius* tangerent; hoc est, illius, vel Sanctorum reliquias venerarentur, de quibus, non minùs, quàm olim, sæpe etiam hodie virtus sanitatis exit, vt, vbi medicæ manus deficiunt, in cœlo adhuc auxilium esse sciatur. Qua de caussa Catholici semper reliquias magni fecêre, quas hæretici, qui nec sanctos, nec sancta amant, peius cane & angue oderunt. Caluinus certè mulierem hanc, *indiscreto zelo*, ait, Christi fimbriam tetigisse, & aliquid in ea fuisse *superstitionis*. Addit, quamuis tactu fimbriæ sit sanata, factum tamen fuisse singulare, quod non debeat valere ad exempli imitationem; vt idcirco & nos ex reliquijs petamus sanitatem. Ita *indiscretus* Caluino *zelus* est, quod omnes Euangelistæ commendauerunt, dum summa diligentia addiderunt hanc eius laudabilem cogitationem: *Si tetigero tantùm* [illegible] *riam vestimenti eius.* [illegible] *ero:* imm[illegible] Christus, non [illegible] raculo [illegible] verbis approb[illegible] *fides* [illegible] *fecit*, id Cal[illegible] *supe*[illegible] pellare. [illegible] n[illegible] uang[illegible] rdat, sic

con-

consentit cum Christo, vt quod Euangelistæ album vocant, illi sit nigrum; & quod Christus tanquam egregiam & saluificam fidem laudat, ille, velut superstitiosum traducat. Quid aget? num etiam illos incilabit, tanquã superstitiosos, de quibus scribitur: *Magis autem augebatur credentiũ in Domino multitudo virorum ac mulierum.* Ex quo signo hoc augmentum *credentiũ* intelligebatur? an ex opere superstitioso? siquidem subiungitur: *ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarũ ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* Pari pacto Ephesi *virtutes non quaslibet faciebat Deus, per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Interrogo hic Caluinum, an hi omnes *indiscreti zeli* & *superstitionis* sint accusandi? interrogo, cur eos Euangelistæ prædicauerint? cur à fide laudauerint? cur sanitas illis miraculo sit conciliata? Indiscretio, superstitio, iniuria Chri-

Act. 5. 14.

Act. 19. 11.

Christo illata, miraculum non meretur. Cur ergo miraculosè sanati sunt, qui non immediatè Christum ipsum, sed fimbriam Christi, sed Petrũ, immo Petri vmbram, sed Paulum, immo Pauli *sudaria & semicinctia*, cum morbis suis, adierunt? Nimirum Catholici fuerunt, non Caluinistæ. Quod si, sine Christi iniuria, vtiliter & laudabiliter *concurrebat multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis*, ad vmbram Petri, cur non idem hodiéque liceat facere, ad Petri tumbam & ossa, ad limina Apostolorum Romæ? aut etiam Ierosolymis, vbi non iam Christi fimbria, sed vestigia, sanguine illius signata & purpurata reperiuntur? Hoc Euangelio conforme est, hoc exemplo mulieris & reliquorum, quos laudant Euangelistæ. Quare Euangelium ipsum tollat necesse est, qui tollit cultum reliquiarum; ne in illud incurrat: *Stultus est, qui, patre cæso, liberis pepercit*, cædem patriam vindicaturis. Nemo igitur animum despondeat: sæpe, vbi nulla ampliùs vis in herbis, aut Podalirijs, vbi nulla ampliùs ars in Galenis, ibi inuenitur, in Sanctorum reliquijs. Sic vult Sanctos suos honorare, vt quemadmodum, *virtutes non quaslibet faciebat*

Act. 5. 16.

Act. 19. 11.

bat Deus, per MANVM Pauli, ita etiam faciat per manum Petri; Sanctorúmque aliorum. Nam *tanta* erat quoque *Iacobi* Apostoli *vitæ sanctitas; vt fimbriam vestimenti eius certatim homines cuperent attingere.* vtique non sine corporis, vel animi; vel vtriusque eximio emolumento.

In Breuiario Rō. 1. Maij lect. 6.

§. VIII.

Etiam de aliorum Sanctorũ veste virtus, exit, quæ morbos sanat.

Ac, ne fuisse ista tantùm existimentur; neque nostris adhuc seculis hic fons miraculorum siccatus est. Passim & agminatim exempla occurrunt. Vnum, pro mille, sed non absimile, dabo. *Retulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri,* inquit Cæsarius, *de quodam Monacho; cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius, multi sanarentur. Sæpe, si tamen adhuc viuit, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cum, quodam tempore, eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretiùs allocutus est: Dic mihi, fili mi; quæ est caussa tantorum miraculorum? Respondit ille: Nescio, Domine; non plus fratribus meis oro; non plus vigilo; non plus ieiuno?*

Cæsarius Heisterbac. lib. 10. c. 6. miraculor.

illino, non plus laboro: sed vnum scio, quòd me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas; siue de persona mea sit, siue aliorum; Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, quòd miles nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non. totum enim Deo commisi. Si modicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas, quòd caussa tantæ virtutis esset amor Dei; & contemtus rerum terrenarum. Esse igitur etiam nostro æuo cœlestes medicos, hac historia docemur. Ex qua etiam discimus, apud quos potissimùm, desperatis alijs remedijs, quærenda sit hæc medicina, nempe, apud eos, de quibus dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus:* qui *glorificantes* se etiam miraculis *glorificat*, quòd & prædixit: *Amen, amen dico vobis; qui credit in me, opera, quæ ego facio; & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quare non carpenda, sed laudanda est eorum fiducia, qui, postquam in quærendis humanis auxilijs, vbique oleum & operam perdiderunt; ad *Montem sanctum, Oetingam veterem, Lauretum, Romam,* atque ad alia Diuis sacrata loca peregrinantur. Non enim quotidiana tantùm exempla ostendunt, plurimos inibi salutem aut corporis, aut animæ repe-

Psal. 138. 16.

Ioan. 14. 11.

reperire, quam alibi nusquam reperissent; sed etiam hęc ipsa est fiducia in Deum, qui, sicut *virtutes non quaslibet faciebat, per manum Pauli*, ita & per manum Petri, per manum Matris suæ, per manum Stephani, aliorúmque, & Apostolorum, & Martyrum, & Confessorũ, & Virginum facere consueuit. Neq; hac re honor illius minuitur, sed augetur. Nam quidquid per Sanctos petitur, ab illo petitur; & quidquid à Sanctis patratur, ab illo patratur. Quippe quòd quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Et honor seruis exhibitus, est honor dominorum.

Act. 19. 11.

§. IX.

Mirabilis potentia Christi, in hominibus persanandis, quos nulla vis alia sanitati restituere potuit.

Si omnia reliqua, desperatissimis in morbis, à Christo allata remedia velim percensere, excrescet vel hoc libri caput, in volumen. Cęcum quis vnquam Machaon illuminauit? Illuminauit Christus, illuminauerunt Sancti. Dæmonem, quis, virtute naturali, ex hominibus expulit? Expulit Christus, expulerunt Christi virtute Sancti. Omitto alios quàm plurimos incurabiles morbos ab ipso curatos. Erat *Ierosolymis Probatica piscina*,

Ioan. 5. 2.

cina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, (hoc est, *domus misericordiæ*) *quinq; porticus habens*, vbi ægroti (exclusis muro pecoribus & iumentis, ne accedere, & turbare aut profanare aquam possent) aquæ motum expectantes considerent. Igitur *in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium*, non Hippocratem, aut Chironem aliquem, non *Panaces*, quod *ipso nomine omnium morborum remedia promittit: numerosum, & dijs inuentoribus adscriptum*; vt Plinius refert; sed diuinitus factum *aquæ motum*. Etenim, D. Ambrosio teste, *vt esset indicium, quia descenderat Angelus, aqua mouebatur*; & instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat, nisi à principe caussa motum. *Angelus enim Domini*, vtique bonus (cum non soleat Deus, ad procurandam hominum salutem, malos Angelos mittere) siue Raphaël, cuius nomen medicum sonat, siue alius Angelus, cuius officium fuit, sanare, *descendebat secundùm tempus*, siue Paschæ, siue Pentecostes, siue præcipuorum, apud Iudæos, festorum, siue, vt probabilius est, *secundùm tempus* hominibus incertum, alioqui non toto anno inibi expectaturis, certum autem Deo. *De-*

Plin. lib. 25. c. 3.
S. Ambr. lib. de ijs, qui mysterijs initiantur. c. 4.

virtute certasti viriliter, maiorem à me gratiam consequeris, & deinceps crebriùs atq; familiariùs me ipsum tibi exhibebo. Itaque, etiam cum videtur abesse Christus, adest; & tum maximè, quando eum dormire maximè existimamus. Nam, etsi videatur dormire, tamen *cor* illius *vigilat. Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Quæ diligenter animo imprimere debent, quos paulo diutiùs aduersis probat orbis Moderator. Sinit flare ventos, turbari maria, furere tempestates; veniri ad extrema, vt & homines ad eum veniant. Neque statim procellas tranquillat; quin neque statim semper innocantes exaudit, sed audire se dissimulat, vt incitet ad fortiùs clamandum. Quare ijs, qui *timidi* sunt & *modicæ fidei*, dormire videtur, cum intentissimè vigilat; & adest, cum abesse putatur, sicut adfuit discipulis etiam alias, & Petro ambulanti super aquam, *cum cœpisset mergi.* Stulti igitur sunt, & tardi ad credendum, qui se à Deo, cum non statim adest, deseri autumant, & alium quærunt ex Orco opitulatorem. Reprehensus est ab Aristide & Diogene Plato quondam, quòd,

Cant. 5. 2.
Psal. 120. 4.
Matth. 14. 30.
Aristid. in orat. cō-

reli-

relictis Athenis, Syracusas in Siciliam, ad Dionysium nauigasset tyrannum. Qua reprehensione digni erunt, qui, Deo relicto, currunt ad veratores, ad magos, ad ipsum cacodæmonem maximum omnium tyrannorum, & capitalem humani generis inimicum? Nimirum, qui ex patre diabolo sunt, ad diaboli opem anhelant, sicut in prouerbio dicitur: *Bos alienus subinde foras prospectat.*

tra Platonem Laërt. in Diog.

Plutarchus in Symp. decad. 8.

§. VI.

Hæmorrhoissa à medicis desperata ad Christum confugiens sanatur.

Non sic fecit *mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis;* quæ, vt Marcus, signatissimè addit, *fuerat multa perpessa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.* Atque, vt Lucas ait, *quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari.* Quid ergò à medicis desperata fecit? Credidit, Christum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progressa, vt videretur, sed *accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.* Obseruat S. Augustinus, non omnes,

Matth. 9. 20. Marc. 5. 26. Luc. 8. 43.

nes, qui sequuntur Christum, & eum tangunt, verè tangere, sed potiùs comprimere: illos verè tangere, qui fide ad Christum accedunt. *Fide tangitur Christus*, ait S. Ambrosius. Hoc ergo fecit mulier, quam idem D. Ambrosius alibi Martham Lazari sororem fuisse opinatur; at Eusebius, & Sozomenus, probabiliùs scribunt, ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ postea Saluatori suo statuam, ante ædes, posuerit æternum accepti beneficij monumentum. Quid ergò huic mulieri, quæ à nullo medico *potuit curari*, fecit Christus? *Conuersus, &* iam etiam corporeis oculis *videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Sic curat Christus, quos nemo potest curare: immò, qui *multa perpetiuntur à compluribus medicis, & erogauerunt omnia sua, nec quidquam profecerunt, sed magis deteriùs habebant.*

S. Ambr. lib. 6. in Luc.
S. Ambr. lib. de Salomone. c. 5.

§. VII.

Hæmorrhoissæ exemplo, Reliquias Sacras, tanquã diuinitus salutares, esse venerandas.

Et fieret hoc frequentiùs, si mulierem hanc plures imitarentur, ac saltem, postquam satis experti sunt, in filijs hominum non esse salutem, ad Deum confugerent; aut, si, more

re

re huius mulieris, siue humilitate, siue pudore, non audent ipsum Christum compellare, vel retro accederent, & *fimbriam vestimenti eius* tangerent; hoc est, illius, vel Sanctorum reliquias venerarentur, de quibus, non minùs, quàm olim, sæpe etiam hodie virtus sanitatis exit, vt, vbi medicæ manus deficiunt, in cœlo adhuc auxilium esse sciatur. Qua de caussa Catholici semper reliquias magni fecêre, quas hæretici, qui nec sanctos, nec sancta amant, peius cane & angue oderunt. Caluinus certè mulierem hanc, *indiscreto zelo*, ait, Christi fimbriam tetigisse, & aliquid in ea fuisse *superstitionis*. Addit, quamuis tactu fimbriæ sit sanata, factum tamen fuisse singulare, quod non debeat valere ad exempli imitationem; vt idcirco & nos ex reliquijs petamus sanitatem. Ita *indiscretus* Caluino *zelus* est, quod omnes Euangelistæ commendauerunt, dum summa diligentia addiderunt hanc eius laudabilem cogitationem: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero:* immo quod ipse Christus, non solùm miraculo, sed etiam verbis approbauit dicens: *fides tua te saluam fecit*, id Caluinus audet *superstitionem* appellare. Sic nempe cum Euangelistis concordat, sic

con-

conſentit cum Chriſto; vt quod Euangeliſtæ album vocarit, illi ſit nigrum; & quod Chriſtus tanquam egregiam & ſaluificam fidem laudat, ille, velut ſuperſtitioſum tradu[illegible]cat. Quid aget? num etiam illos incilabit, tanquã ſuperſtitioſos, de quibus ſcribitur: *Ma-*
Act. 5. 14. *gis autem augebatur credentiũ in Domino multitudo virorum ac mulierum.* Ex quo ſigno hoc augmentum *credentiũ* intelligebatur? an ex opere ſuperſtitioſo? ſiquidem ſubiungitur: *ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarũ ciuitatum Ieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis: qui curabantur om-*
Act. 19. 11. *nes.* Pari pacto Epheſi *virtutes non quaſlibet faciebat Deus, per manum Pauli: ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Interrogo hic Caluinum, an hi omnes *indiſcreti zeli* & *ſuperſtitionis* ſint accuſandi? interrogo, cur eos Euangeliſtæ prædicauerint? cur à fide laudauerint? cur ſanitas illis miraculo ſit conciliata? Indiſcretio, ſuperſtitio, iniuria Chri-

Chriſto illata, miraculum non meretur. Cur ergo miraculosè ſanati ſunt, qui non immediatè Chriſtum ipſum, ſed fimbriam Chriſti, ſed Petrũ, immo Petri vmbram, ſed Paulum, immo Pauli *ſudaria & ſemicinctia*, cum morbis ſuis, adierunt? Nimirum Catholici fuerunt, non Caluiniſtæ. Quod ſi, ſine Chriſti iniuria, vtiliter & laudabiliter *concurrebat multitudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis*, ad vmbram Petri, cur non idem hodiéque liceat facere, ad Petri tumbam & oſſa, ad limina Apoſtolorum Romæ? aut etiam Ieroſolymis, vbi non iam Chriſti fimbria, ſed veſtigia, ſanguine illiùs ſignata & purpurata reperiuntur? Hoc Euangelio conforme eſt, hoc exemplo mulieris & reliquorum, quos laudant Euangeliſtæ. Quare Euangelium ipſum tollat neceſſe eſt, qui tollit cultum reliquiarum; ne in illud incurrat: *Stultus eſt, qui, patre cæſo, liberis pepercit*, cædem patriam vindicaturis. Nemo igitur animum deſpondeat: ſæpe, vbi nulla ampliùs vis in herbis, aut Podalirijs, vbi nulla ampliùs ars in Galenis, ibi inuenitur, in Sanctorum reliquijs. Sic vult Sanctos ſuos honorare, vt quemadmodum, *virtutes non quaſlibet faciebat*

Act. 5. 16.

Act. 19. 11.

bat Deus, per MANVM Pauli, ita etiam faciat per manum Petri, Sanctorúmque aliorum. Nam *tanta* erat quoque *Iacobi* Apostoli *vitæ sanctitas; vt fimbriam vestimenti eius certatim homines cuperent attingere.* vtique non sine corporis, vel animi, vel vtriusque eximio emolumento.

In Breuiario Rō. 1. Maij lect. 6.

§. VIII.

Etiam de aliorum Sanctorũ veste virtus, exit; quæ morbos sanat.

Ac, ne fuisse ista tantùm existimentur; neque nostris adhuc seculis hic fons miraculorum siccatus est. Passim & agminatim exempla occurrunt. Vnum, pro mille, sed non absimile, dabo. *Retulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri,* inquit Cæsarius, *de quodam Monacho; cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius; multi sanarentur. Sæpe, si tamen adhuc viuit, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cum, quodam tempore, eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretius allocutus est: Dic mihi, fili mi; quæ est caussa tantorum miraculorum? Respondit ille: Nescio, Domine; non plus fratribus meis oro; non plus vigilo; non plus ieiuno;*

Cæsarius Heisterbac. lib. 10. c. 6. miracul.

itino, non plus laboro: sed vnum scio, quòd me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas; siue de persona mea sit, siue aliorum; Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, quòd miles nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non. totum enim Deo commisi. Si modicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas, quòd caussa tantæ virtutis esset amor Dei; & contemtus rerum terrenarum. Esse igitur etiam nostro æuo cœlestes medicos, hac historia docemur. Ex qua etiam discimus, apud quos potissimùm, desperatis alijs remedijs, quærenda sit hæc medicina, nempe, apud eos, de quibus dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus:* qui *glorificantes* se etiam miraculis *glorificat*, quòd & prædixit: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quare non carpenda, sed laudanda est eorum fiducia, qui, postquam in quærendis humanis auxilijs, vbique oleum & operam perdiderunt; ad *Montem sanctum, Oetingam veterem, Lauretum, Romam,* atque ad alia Diuis sacrata loca peregrinantur. Non enim quotidiana tantùm exempla ostendunt, plurimos inibi salutem aut corporis, aut animæ repe-

Psal. 138. 16.
Ioan. 14. 11.

reperire, quam alibi nusquam reperissent; sed etiam hęc ipsa est fiducia in Deum, qui, sicut *virtutes non quaslibet faciebat, per manum Pauli*, ita & per manum Petri, per manum Matris suæ, per manum Stephani, aliorúmque, & Apostolorum, & Martyrum, & Confessorũ, & Virginum facere consueuit. Neq; hac re honor illius minuitur, sed augetur. Nam quidquid per Sanctos petitur, ab illo petitur; & quidquid à Sanctis patratur, ab illo patratur. Quippe quòd quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Et honor seruis exhibitus, est honor dominorum.

Act. 19. 11.

§. IX.

Mirabilis potentia Christi, in hominibus persanandis, quos nulla vis alia sanitati restituere potuit.

Si omnia reliqua, desperatissimis in morbis, à Christo allata remedia velim percensere, excrescet vel hoc libri caput, in volumen. Cęcum quis vnquam Machaon illuminauit? Illuminauit Christus, illuminauerunt Sancti. Dæmonem, quis, virtute naturali, ex hominibus expulit? Expulit Christus, expulerunt Christi virtute Sancti. Omitto alios quàm plurimos incurabiles morbos ab ipso curatos. Erat *Ierosolymis Probatica piscina,*

Ioan. 5. 2.

cina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, (hoc est, *domus misericordiæ*) *quinq; porticus habens*, vbi ægroti (exclusis muro pecoribus & iumentis, ne accedere, & turbare aut profanare aquam possent) aquæ motum expectantes considerent. Igitur *in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium*, non Hippocratem; aut Chironem aliquem, non *Panaces*, quod *ipso nomine omnium morborum remedia promittit: numerosum, & dijs inuentoribus adscriptum*; vt Plinius refert; sed diuinitus factum *aquæ motum*. Etenim, D. Ambrosio teste, *vt esset indicium, quia descenderat Angelus, aqua mouebatur*; & instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat, nisi à principe caussa motum. *Angelus enim Domini*, vtique bonus (cum non soleat Deus, ad procurandam hominum salutem, malos Angelos mittere) siue Raphaël, cuius nomen medicum sonat, siue alius Angelus, cuius officium fuit, sanare, *descendebat secundùm tempus*, siue Paschæ, siue Pentecostes, siue præcipuorum, apud Iudæos, festorum, siue, vt probabilius est, *secundùm tempus* hominibus incertum, alioqui non toto anno inibi expectaturis, certum autem Deo. *De-*

Plin. lib. 25. c. 3.
S. Ambr. lib. de ijs, qui mysterijs initiantur. c. 4.

ſcendebat autem *ſecundùm tempus* hoc *in piſci-*
nam,& mouebatur aqua. Et qui prior deſcen-
diſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fie-
bat à quacunq; detinebatur infirmitate. Sana-
batur autē tantùm vnus, vt appareret, non
eſſe illā vim ſanandi naturalē, ſed diuinitus,
ad momentum temporis, aquis impreſſam. Si
enim natura aquæ id feciſſet, ſemper feciſſet.
Siquidem ea, quæ natura fiunt, ſemper fiunt;
vt ignis ſemper vrit; & acidulæ ſemper ſunt
acidulæ; thermæque ſemper fouent & cale-
faciunt. Accedit, aquæ vim illam datam,
vt quamcunq; etiam deſperatiſſimam inua-
letudinem reſtauraret. Sic ibi, diuino dono,
inueniebatur, quod nuſquam alibi, vel in
Atticis fontibus Calliroe, vel in Bœotia
Hippocrene, vel ipſa Acidalia ſcaturigo, in
qua Gratiæ lauabantur, aliæúe ſalubres vn-
4 dæ dederunt. *Erat autem quidam homo ibi*
triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.
Hunc cum vidiſſet IESVS iacentem & cogno-
uiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit
ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Do-
mine, HOMINEM NON HABEO,
vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſ-
cinam: dum venio enim ego, alius ante me deſ-
cendit. Ipſe ſe iuuare non poterat; & Ho-

MINEM

minem Non Habebat. Ecce vt, omni auxilio humano destitutus, diuinū sensit. Nam homo quidē, sed homo Deus ei succurrit. Dixit enim ei Iesvs: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatū suum, & ambulabat.* Multa hominū millia in vijs, in desertis, in mapalibus, in pagis, medico carent, & tamē non carent morbo; vt dicere iure possint: *Hominem non habeo;* sed Deū habent, quo solo auxiliante, possunt corporis vires recuperare. Et verò sæpissime, sine vllo medico, recuperant: quod tamen, cum toties contingat, pauci mirantur, multi etiam penitus non animaduertunt. Ah multi neque animæ habent medicum, quia Parocho destituuntur; vtinam scirent, se Deum habere, &, quando copia non est peccata confitendi, saltem contritione, & Deo super omnia amato, nossent culpas diluere! Noscent autem, si sciant, humano auxilio deficiente, non deficere diuinum, cui nulla mali diuturnitas potest obsistere; nulla vehementia aut difficultas obicem ponere. Lazarum quatriduanū ex ipso sepulchro euocat; hæmorrhoissam, per duodecim annos, ægrotam sanat; & alterā mulierem, quæ spiritū infirmitatis, annos duo- Ioan. 11. 39. Luc. 8. 43.

E 2 deui-

deuiginti habuit, morbo liberat; hunc denique, triginta octo annos, in porticu & paralysi iacentem, post tot hyemes, erigit. Sed erigit, tanto tempore, patientissima spe, perseuerantem; & erigit extemplò; nam, dictum factum, quippe *statim sanus factus est homo ille.* Enimuerò adeò sanus factus est, vt illico sustulerit ipse *grabatum suum*, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumeratis exemplis clarum fit, quàm diuersa sint diuina iudicia ab humanis? cùm toties Deus iudicet manũ porrigendam ijs, quos homines esse deserendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandã, nec vnquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri prouerbio dicitur: *Deus de machina:* stat enim ille pro nobis inuocatus, cùm nos etiam in extrema tegula stamus.

CAPVT. IV.

Exempla prouidentissimæ, in homines, diuinæ Bonitatis, circa alimenta.

§. I.

Tentatio, ac solicitudo hominum, pro pane quotidiano, quo modo curanda?

Quæ

QVæ potentia Christi fuit, in desperatissimis morbis pellendis, ea etiam fuit, in sedanda fame. Nam septem panibus saturauit, in deserto, *quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres.* Hanc potentiam beneuolentiamque si discipuli eius satis agnouissent, nunquam fuissent, dicturi: *Vnde ergo nobis, in deserto, panes tantos, vt saturemus turbam tantam?* neque alij diuinæ diffiderent bonitatti, qui, pro ventre & sagina, nimis soliciti dicunt: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo cooperiemur? quæ omnia gentes inquirunt.* Hinc, vt canis pane, & auis esca capitur, sic diabolus multos capit solicitudine ciborum. *Pretium scorti*, ait, *vix vnius panis; vsq;* adeò frustum panis sequitur, non equa modò, sed etiam lupa. Quis docuit Psittacum suum χαῖρε? *Magister artis ingeniq; largitor Venter.* Itaque non gentes tantùm, sed etiam bestiæ, & impudicæ mulieres, bestijs abiectiores, nihil non faciunt, vt panem acquirant. *Græculus esuriens, in cælum iusseris, ibit;* quid dico, in cælum? multi quotidie, mensæ caussa, in ipsum eunt Acheruntem. Meritò igitur ait Dominus: *Nolite soliciti esse &c: scit enim Pater vester, quia his* omnibus

Matth. 15. 38.

Matth. 6. 31.

Prou. 6. 26.

Persius in Prol.

indigetis. Itaqne cum Stygius hostis multos aggreditur alimentorum curâ; cũ iam hunc, iam illum alloquitur: *Dic vt lapides isti panes fiant;* cum iubet omnem lapidem moueri, vt venter impleatur; cum varias artes docet pecuniæ, panis, vini parandi; cum denique à se vult disci, quomodo liberi, vxor, familia, humana vita sit sustentanda, & cum sexcenta hoc genus insanit; gladio aptiore non potest repelli, quàm diuinæ Prouidentiæ Bonitatísque protestatione; quæ clarissimè indicatur illis verbis: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quam artem etiam docuit Dauid, cum esurienti dixit: *Iacta super Dominum curã tuam, & ipse te enutriet.* Ne puta eum tui oblitum, & ne dicas: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.*

Matth. 4. 3.
Matth. 4. 4.
Deut. 8. 3.
Psal. 54. 23.
Isa. 49. 14.

§. II.

Dei suos alentis exempla è diuinis litteris petita.

Exemplorum affatim diuinæ paginæ subministrant. An non enim primum hominem in admodum fructifero horto collocauit? An

An non Patriarchæ Iacob filijsque eius, in summa annonæ caritate, per Iosephum AEgypti saluatorem, alimenta prouidit? An non in ipsa solitudine fontem de petra, panem de nubibus eiecit? & quidem panem sapidissimum? Nam *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* An non, tempore tam diuturnæ famis, Eliæ *corui deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente?* An non eidem postea, per piam viduam, in Sarephta Sidoniorum, de mensa prospexit? An non, quando ipse Christus diabolum à se reiecit esuriens, qui eum lapides comesse volebat, *Angeli accesserunt, & ministrabant ei?* An non vel solorum virorum quinque millia quinq; panibus hordaceis & duobus piscibus satiauit, idem Dominus, in loco deserto, vbi neque furnus erat, neque pistor? Hæc aliáque complura diuinæ litteræ prodiderunt. Sed quia exempla, cum delectatione, docent, age, alia ex alijs quoque historijs adducamus.

Psal. 77. 24.

3. Reg. 17. 6.

Matth. 4. 11.

Ioan. 6. 10.

§. III.

S. Frontonius, spe diuinæ prouidentiæ, septuaginta viros in desertum trahit.

Heribertus Rosvveydus vir eruditus, & Rosvveid

Lib. 1. de vita & verbis Seniorũ 14. Apr. Pag. 238.

ab historijs SS. Patrũ clarus, ex D. Hieronymo alijsq; antiquæ fidei & sinceritatis Scriptoribus, inter varias Seniorũ vitas, refert, S. Frontonium, quem Martyrologiũ Romanũ 14. April. Vsuardus & Ado, Frontonẽ (non illum S. Petri discipulum, Episcopum Petragoricũ, sed Alexandriæ Abbatẽ) nominant, sub Antonino Imperatore, anno tertio decimo Imperij eius, in AEgypto, cum Mundũ, tanquam Diomedeum hospitium, execratus in solitudinem profugere vellet, instar diuini magnetis cuiusdam, septuaginta adeò fratres secum traxisse: quibus persuasit, vt nihil secum, præter minuta olerum semina, & palas sarculósque deferrent, vsus illis verbis Domini: *Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Teneamus promissum, & inueniemus in nobis opus Domini conseruatum.* Hac oratione, diuinæq; Prouidentiæ & Bonitatis sponsione, incensi septuaginta viri, instructum ab omnibus rebus necessarijs monasterium, commoditates maximas, liberales piorum hominum manus, & obuia auxilia, vno verbo, cellam & culinam, pe-

Matth. 6. 31.

num

num & focum deſeruerunt; & loca inculta, deſerta, aſpera, vix ipſis feris habitanda adierunt. Ibi, vt omne principium feruet, vigilijs, precibus, ieiunijs, laboribus varijs Deo cupidè ſeruierunt; tantò cælo viciniores, quantò remotiores à mundo. Angelos dixiſſes. Sed quò non penetrat, ſeu tentator, ſeu tentatio? Multos in clauſtris frangit aſperitas, multos fatigat diuturnitas: & non rarò primi ſpiritus religionis, cum tempore, intepeſcunt, aut omnino cadunt. Quin Sathan Tartareus ipſe quoq; cibum electum affectat, & Cerbero, ſi bolum adipiſcatur non quotidianum, optatò accidit. Sed omnium periculoſiſſima pugna eſt, cum hoſtis ſimulat amicum; qui & Christum in deſerto aggreſſus, amicis in ſpeciem verbis, inimiciſſimè voluit præcipitare. Tametſi enim non vult Deus otioſis nobis coturnices aſſatas in os immittere, ſed iubet nos ſedulò orare: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*, vel, vt eſt apud Lucam, *quotidianum, da nobis hodie*; immò vult nos ad aratrum manum applicare, vt, *in ſudore vultûs* noſtri, veſcamur pane noſtro, vt impleatur illud: *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ*: non vult tamen nos Matth. 6. 11. Luc. 11. 3. Geneſ. 3. 19.

totos esse, in pastu quærendo, more pecudum nonnullarum. Quin sacratiores seruos suos, extra petitionem memoratã, non vult cogitare aut dicere: *Quid manducabimus, aut bibemus, aut quo cooperiemur?*

Matth. 6. 31.

§. IV.

Tentatio Fratrum, metu famis.

Per hanc ergo ipsam etiam machinam tã sancto cœtui expugnando variæ vndique &, vndiq; ex Orco, ad signa, cohortes confluxerunt. Inopia submisit famem, inedia imbecillitatem, caro tristitiam: Dæmon, postquam Christi athletas vidit famelicos, & esuriones factos, quasi in inclinatam aciem, ita saxa locutus identidem immisit *lapides*: nempe, nimis duram esse, ac velut saxeam vitam Eremitarum: tolerari hanc austeritatem non posse: humanam illis naturam esse, non Angelorum: nec vtique vno sudore hauriendũ esse hunc laborem; duraturum vsq; ad mortem; quam ipsam hoc genus vitæ, non sine homicidij crimine, sit procuraturum. Hæc cogitantibus ostendit *omnia regna Mundi, & gloriam eorum*; obiecit dapes, depinxit spumantes pateras; exposuit quidquid est deliciarum. Facilè in ruinam impelluntur, qui iam antè claudicant. Itaque esuritione tristes

ſtes & ſui impatientes ſubijt pœnitentia, & poſtliminiò ad cæpas atque allia reſpexêre. Iámq; in apertas murmurationes cæperunt erumpere, atq; inter ſe muſſitare: Cur Frontonius nos huc miſeriarum è portu in ſcopulos duxit? Cur non manſimus in ſecuro? Quin redimus ad communem hominum vitam? An non & illi, qui in vrbibus & arcibus degunt, boni eſſe poſſunt? An non & illi, licet fame ſe ſe non enecent, poſſunt ſalutem æternam conſequi? *Quis poterit cibo viuere Angelorum?* Palleſcit vultus; genua labant; ob inediam, pedes corpus non ferunt; nec oculi caligantes officio ſuo funguntur; denique fame morimur. Et quid mors noſtra Numini proderit ieiunio accelerata? diu qui vi-uit, diu Deum laudat. Hæc illi.

§. V.

S. Frontonij, ad fame tentatos, exhortatio.

Audiens Frontonius eorum murmur antè, quàm ad eum conuenirent dicentes aliquid, ipſe præueniens eos ait: Quouſq; irritatis Deum murmurantes in cordibus veſtris, & dicentes: Nuncquid qui eremum inhabitant, hi tantùm ſunt Dei ſerui? & quis ex cibo poterit viuere Angelorum? Conueniamus ad Abbatem, & loqua-

loquamnr ad eum: vt habitemus in ciuitate: quia si qui nos illic viderint, opportune nobis, iuxta Dei votum, dirigunt escas, prout cuiq; Dominus dederit facere. Illud autem scitote, quia non necabit Dominus fame animam iusti. Ecce oculi Domini super timentes eum, vt alat

Psal. 32. eos in fame. Et illud non memoramini scriptum,

2. Cor. 11 quod ait Apostolus: In fame & siti? sed vobis quoq; in eremo nunquã defuerunt radices herbarum, nec mansistis aliquaudo ieiuni. Recordamini autem, quia antea locutus sum vobis:

Matth. 6. Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Nouit Dominus cibum dare timentibus se. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Si enim Dominus volatilia pascit, & cornos non deserit: quomodo nos derelinquere poterit, ipsum iugiter in mente habentes, eumq; assiduè orantes? si fame defecerimus in eremo, nos Dominum accusemus, & improperemus ei, cum ad ipsum venerimus, dicentes; Credidimus Euangelio tuo, vbi dixisti: quod vniuersos in te credentes, cœli pabulo pasces; fecimus cuncta quæ præcepisti, sperauimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti, hîc magis, vt probes veritatem, redde, quod promisisti. Nolite

ergò

ergò murmurare aduersus Deum, ne murmurantes, sicut Patres nostri in deserto, à serpentibus pereatis. Quod si expectaueritis Dominum, quando voluerit, dabit bona timentibus se. Quo dicto siluerunt paululum à murmurratione sua: erant tamē in mœrore positi. Huc vsque Frontonius, apud dictum authorem.

§. VI.

Ex diffidentia in Deum fames fit malesuada.

Nondum tamen hic finis historiæ: sed interponendum est aliquid priùs, quàm illam totam percenseam. Cur enim in mœrore positi isti, Abbas autem, plenus spe & fiducia, in gaudio fuit? Nimirum illi Deum quidem crediderunt vbique præsentem, sed de Dei Bonitate non satis bene senserunt, sed fiducia Dei caruerunt; Abbas autem, cum sciret tam bonum Mundi Gubernatorem, tam potentem Conseruatorem, tam pium patrem filijs suis vbique adesse, persuasissimum habuit, immò, vt certum fidei articulum tenuit, neminem sibi, absque eius voluntate, nocere, nihil necessariarum rerū deesse posse. Nam *qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Psal. 90. 1. Et si, eo volente, cibus aliquando deficit, *non in solo pane vi-* Matth. 4.

Ludouicus Blos. in Appédice Monilis spirit.

ne viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Sic S. Catharina Senensis, *aliquando à die cinerum, vsq; ad Ascensionem Domini, sine cibo, perdurauit, sola Eucharistiæ communione contenta.* Quod & in Nicolao, apud Heluetios, per multos annos, videre fuit. Potest etiam fieri, vt Deus aliquos fame sinat extremè affligi. Quod si fiat, vtiq; de manu id Domini est accipiendum, qui potestatem habet vitæ necísque nostræ. Frontonius sciebat Bonitatem diuinam esse tantam, vt de ea nulli sit diffidendum. Quod vtinam scirent omnes; non tam multi malis se artibus alerent, non furtis digitos, non rapinis manus contaminarent; non fraudibus, non mendacijs, non periurijs pecuniam facerent; non se turpi quæstu alerent; non venderent pudicitiam, non interuerterent testamenta; non spoliarent in siluis & crumena, & vita viatores; non traderent Iudæis, conuulnerandam, non ipsi cacodæmoni porrigerent contumelijs fædandā SS. Eucharistiam: non tantopere laborarent, in impetrandis schedulis & facultate carnibus vescendi, tempore quadragesimæ; quippe alimentum à Deo sperarent, putaréntq;, cum tribus illis sanctis pueris, ipsa se abstinen-

nentia fore fortiores pinguiorésque. Nouit ille dare necessaria, nouit vires confirmare suorum: qui diuitibus, & cuticulæ caussa; nimis solicitis, delicatéque ventrē implentibus, longè plures morbos immittit. Semper enim laborant catarrhis; semper de capite, aut dente queruntur; semper cordolium, calculum, stomachi cruditates, podagras & chiragras accusant, cum seipsos accusare deberent; sua sibi intemperantia talia accersentes; semper poscunt sumúntque medicinas; vt multi plus accipiant à pharmacopola, quam è culina. Hæc iusto Dei Iudicio, vtrisque contingunt; vt & appareat, *non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, dum mucido pane victitantes valetudine sunt meliore, & prudentia carnis, velut Tantalus in vndis, ipsa abundantia sua puniatur.

§. VII.

Angelus diuitem admonet, vt seruis Dei fame laborantibus succurrat.

Vt ergo homines in exemplo doceret diffidentésque fratres emendaret, & pariter Frontonij fidē etiam in nos diffunderet Numen, illo ipso tempore, quo de victu nimium quantum soliciti erant, Angelum de cœlo mi-

lo misit ad copiosum quendam hominem, quadridui itinere à Monachis distantem, ad obsonandum. Intempesta nocte, diues lecto suo accubans dormiénsque nihil minùs, quàm de liberalitate somniabat. Aurum plenis manibus comprehendere, nummos asperos sibi videbatur numerare, & Iouialibus cœnis interesse. Hunc Angelus, alia repentè oblata imagine, ita compellauit: Nempe tu ille splendidus es epulo, qui ventrem saburra imples, & plus solus degulas, quàm alij decem; semper satiatus, nunquam famelicus; amphora, gurges, helluo, & vnus de genere Apiciorũ; solúmque natus vt fruges absumas: at serui mei, in dura solitudine, in labore aspero, neque panem habent, quo sustententur? Ad quid tibi diuitias dedit diuina liberalitas? nisi vt possis esse liberalis? An, vt te cibis occideres? vel, vt pauperes illius in vita seruares? Expergiscere, miser, &, ni malum vis, audi, quid mandet Deus: Quàm primùm diluculabit, seruis illius, ex omnibus, quæ tibi data sunt, sportulam transmitte. Neque graue hoc tibi videatur. Magnum beneficium præstat vniuersi Dominus, si quem gregis sui f[illegible] rem. Doni loco ab[illegible]

nauit. Qui ergò te semper pauit, vult nunc à te ipse pasci. Nam placuit illi, ex eleemosyna tua, reficere pauperes suos; & quidem eos, qui se sic illi in locis solis totos consecrauerunt. Hæc exequere. Si neglexeris, scito, te superos iratos; si feceris, debitores habiturum.

§. VIII.

Solicitudo; apud homines magna, apud Deum sæpe non satis magna.

Terruerunt eum hæc verba, & somnos ruperunt. Nec enim potuit diutiùs dormire à cœlo tam robustis vocibus excitatus. Itaque multò; quàm consueuerunt isti, citiùs stratum deserens; de toto negotio seriò cogitauit. Cum autem nesciret Eremitarum locum, non illico se se excusatum censuit; non sua solùm nixus est prudentia; neq; sibi ipse seriatus esse voluit; sed necessarijs; amicis; officijs seruísque vndique conuocatis somniúmne dicam, an visum nocturnum? ordine narrauit; & se parere monitis promptissimum ostendi[illegible] [illegible]terùm; quia[illegible] norârat, vbina[illegible] serui ill[illegible] morarentur [illegible] iámqu[illegible] [illegible] is nos[illegible] [illegible] ic in [illegible]

F

tonius, cum ſuis, latebat, in abditiſſimo montis loco; quem ipſum, ne dum ipſos, præter ipſos nemo nouerat. Quare neque experti, neque qui ſenectâ erant ætate, conſilium viæ exigenti potuerunt reſpondere. Et tamen (ô Iudicia Dei!) nondum ſatis egit, qui conſilium non inuenientibus, aut in longum differentibus, ſat ſe egiſſe arbitrabatur. Quis non putaret, talem excuſatum? quis non ſomnium inane fuiſſe, interpretaretur? Neſciebat locum, non nouerat homines; poſt accuratam inquiſitionem, ne diuinare quidem potuit, vbi inuenirentur. Et facilè fortaſſe etiam erat diuiti, ventis tradere mandatum liberalitatis.

§. IX.

Quam ſeriam ſolicitudinem, in exequendis mandatis ſuis, Deus exigat?

Itaque curâ eleemoſynæ largiendæ omni ſepoſita; ſecurus ſui, nocte altera quieuit. Sed non quieuit Deus, qui ſæpe anguſtijs plagiſq; homines adigit ad bene agendum. Adeſt ergo iterum Angelus, nec iam mitibus atque amicis, ſed ſæuis, indignantibus & minantibus verbis vrget torpentem ad ſeriam mandati executionē; ac, ne denuò ſomnium eſſe exiſtimet, addit verbis acribus grauia

nia verbera, & ictibus confirmat ſermonem. Tum verò ille ſe è plumis actutum proripit, rurſúmque, & familia omni, & vicinis vndique citatis, conſilium non iam rogat, ſed flagitat; iubétque, per alios quoſcunque, ſedulò inquiri in habitationem Eremitarũ, ſi ipſi neſciant. Verbis vim lachrymæ addiderunt; lachrymas autem non de nihilo cadere, oſtendebant nondum obductæ cicatrices; ab Angelo percutiente, relictæ. Multùm agitata eſt quæſtio. Neſcientibus cunctis, nec viam conſulendi inuenientibus, vnus diuina luce perfuſus in hæc verba eſt locutus. Etſi mihi & viri illi, & eorum ſedes incognita eſt, fortaſſe tamen conſilium ſuggeram haud inſalubre. Sunt tibi cameli ſeptuaginta: his onera impone; & quicquid ad vitam ſeruorum Dei ſuſtentandam neceſſarium eſt, è clitellis ſuſpende: tum id facito, quod olim Philiſthæi, iuxta conſilium ſuorum Sacerdotum; nam *tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos iunxerunt ad plauſtrum, vituloſq; earum concluſerunt domi. Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethſames, & itine-* 1. Reg. 6. 10.

 re vno

re vno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Pari pacto tu cibarijs camelos onera, solósque, & duce destitutos, viæ committe. Quod si diuina hæc est voluntas, vt tuis opibus Ascetæ isti alantur, camelos tibi incolumes, eodem numero, remittet. Sin ab Orco tibi horum animalium iactura imminet, satiùs est iumenta perdere, quàm vitam. Qui enim te flagellauit, vt moneret duntaxat; vt puniat, penitus occidet. Dixit, & persuasit. Nec opulento tantùm illi, sed omnibus pariter, qui aderant, sententia probata est.

§. X.

Camelorum, in summa inedia, absq; duce, commeatum Dei seruis portantium prodigiosum iter.

Nullâ morâ interposita, educuntur è stabulis septuaginta cameli clitellati, horum quinque fæno & auenâ in dorsum alligatâ, ceteris sexaginta quinque humanus varij generis cibus est superiniectus; ita non solùm Dei seruis, sed ipsis etiam bestijs, qui illis seruierant, esca est suppeditata. Sic instructos septuaginta camelos, atque in via constitutos, non sine singultu fletúque, cœlesti

custo-

custodiæ ac tutelæ solicitus paterfamilias commendauit, &, sine duce, sine comite, quocumque ferrentur, liberè sibi abire permisit. Nullus homo bestias regebat; sed non etiam nullus Angelorum. Rectissimis enim lineis, per inuia, & auia, tendebant ad cænobium Eremicolarum. Quarto die, labore & inedia patientissimè toleratis, eò peruenerunt, atque ante fores, præ lassitudine, non iam steterunt, sed procubuerunt. Primo camelo, sicut & apud nos iumentis per pascua vagantibus, tintinnabulum ad collum erat appensum, vt ad eius sonitum ceteri colligerentur. Sed tum, monachis, hora nona, hymnos psallentibus, tintinnabuli pulsus non audiebatur. Cantu nec dum absoluto, Frontonius Abbas, non procul ab ostio claustri degens, idem simul & ianitor, & Antistes, occulto monitu, de fenestra prospexit, viditque diuinæ prouidentiæ liberalitatem: nec tamen tantum diuinæ Bonitatis gaudium antè fratribus suis indicauit, quàm Numini debitas laudes absoluissent. Redeuntes è choro ad se vocauit, monstratisque ordine camelis, ac oneribus sarcinisque eorum, dixit: Vbi sunt diffidentiæ, vbi murmurationes vestræ? En præsentē nobis Domi-

minum! en Patrem, Bonitate sua, nobis incredulitatis vitium exprobrantem! Adeste, iumenta oneribus liberate, lassáq; reficite.

§. XI.

Fluctuans eleemosynæ dator, miraculoso camelorum reditu, prouidentiaq; Numinis, mirificè recreatur & confirmatur.

Dici non potest, quantis lætitijs incesserint, quantis gaudijs sint inundati, in quantas Dei laudes effusi? Tum & ipsi, & cameli sunt cibis recreati. Quoniam autem plus attulerant, quàm necesse erat modico viuere assuetis, noluit S. Frontonius occasionem dare cupiditati habendi. Nec enim ex illa hominum classe fuit, quæ nunquam potest satiari, aut dicere, sufficit. Quare, die insecuto, camelos iterum, media parte omnium rerum, quas apportarant, oneratos, & cum ijs auaritiam pariter à se ablegauit; Eulogias ad proprium Dominũ remittens. Minus erat octo dierum, cum is expectauit, horis iam etiam singulis in digitos missis, reditum camelorum: nec sine metu fuit tristitiáque amissorum. Vt quid enim bestiæ tam diu impastæ? An non leonum aliarúmque belluarum famem potiùs, quàm Eremico-

larum

larum hominum ſatiauiſſe erant exiſtimandæ? ſine via, ſine duce mittere, quæ prudentia? jámq; conſilium, in quod priùs omnes pedibus iuerant, paſſim damnabant, pœnitebátque, rectè feciſſe. Dies erat poſterus & octauus, quo vicini amicíque omnes ad Diuitem confluxerant, vt eius dolorem ſolantibus verbis lenirent, paritérque diuinã clementiam exorarent, ne tanta ſeptuaginta camelorum iactura largiſſimæ eleemoſynæ meritum compenſaret. Ita mœſtis & ieiunis omnibus vnà conſidentibus, repentè cæpit aura ſpirare: cum auræ ſonitu, tintinnabuli ſonitus, ſed ſubobſcurus, vni eorum ad aures allabebatur. Preſſit vocem, & attentior videbatur ſibi percipere ſonum ſemper propinquiorem, de montibus, aduenientem. Exclamat, Euangelium, Euangelium bono nuncio date: redeunt cameli. Exſurgunt omnes properè, quà cui proximum eſt; currunt, volant; vident, eodem agmine, ordine, numero, itinere, cunctos ſaluè redeuntes. Fit ingens clamor, &, in triſtitiæ locum, gaudia immenſa ſuccedunt: gloria Deo laudéſque dantur. Hæc primus aſpectus effécit. Aſt vbi propiùs ventum, tum lætitiæ longè magis creuerunt. Neque

Ludouicus Blos. in Appédice Monilis spirit.

ne viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Sic S. Catharina Senensis, *aliquando à die cinerum, vsq; ad Ascensionem Domini, sine cibo, perdurauit, sola Eucharistiæ communione contenta.* Quod & in Nicolao, apud Heluetios, per multos annos, videre fuit. Potest etiam fieri, vt Deus aliquos fame sinat extremè affligi. Quod si fiat, vtiq; de manu id Domini est accipiendum, qui potestatem habet vitæ necísque nostræ. Frontonius sciebat Bonitatem diuinam esse tantam, vt de ea nulli sit diffidendum. Quod vtinam scirent omnes; non tam multi malis se artibus alerent, non furtis digitos, non rapinis manus contaminarent; non fraudibus, non mendacijs, non periurijs pecuniam facerent; non se turpi quæstu alerent; non venderent pudicitiam, non interuerterent testamenta; non spoliarent in siluis & crumena, & vita viatores; non traderent Iudæis, conuulnerandam, non ipsi cacodæmoni porrigerent contumelijs fædandā SS. Eucharistiam: non tantopere laborarent, in impetrandis schedulis & facultate carnibus vescendi, tempore quadragesimæ; quippe alimentum à Deo sperarent, putaréntq;, cum tribus illis sanctis pueris, ipsa se abstinen-

nentia fore fortiores pinguiorésque. Nouit ille dare neceſſaria, nouit vires confirmare ſuorum: qui diuitibus, & cuticulæ cauſſa; nimis ſolicitis, delicatéque ventrē implentibus, longè plures morbos immittit. Semper enim laborant catarrhis; ſemper de capite, aut dente queruntur; ſemper cordolium, calculum, ſtomachi cruditates, podagras & chiragras accuſant, cum ſeipſos accuſare deberent; ſua ſibi intemperantia talia accerſentes; ſemper poſcunt ſumúntque medicinas; vt multi plus accipiant à pharmacopola, quam è culina. Hæc iuſto Dei Iudicio, vtriſque contingunt; vt & appareat, *non in ſolo pane viuere hominem, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, dum mucido pane victitantes valetudine ſunt meliore, & prudentia carnis, velut Tantalus in vndis, ipſa abundantia ſua puniatur.

§. VII.

Angelus diuitem admonet, vt ſeruis Dei fame laborantibus ſuccurrat.

Vt ergo homines in exemplo doceret diffidentésque fratres emendaret, & pariter Frontonij fidē etiam in nos diffunderet Numen, illo ipſo tempore, quo de victu nimium quantum ſoliciti erant, Angelum de cœlo mi-

lo misit ad copiosum quendam hominem, quadridui itinere à Monachis distantem, ad obsonandum. Intempesta nocte, diues lecto suo accubans dormiénsque nihil minùs, quàm de liberalitate somniabat. Aurum plenis manibus comprehendere, nummos asperos sibi videbatur numerare, & Iouialibus cœnis interesse. Hunc Angelus, alia repentè oblata imagine, ita compellauit: Nempe tu ille splendidus es epulo, qui ventrem saburra imples, & plus solus degulas, quàm alij decem; semper satiatus, nunquam famelicus; amphora, gurges, helluo, & vnus de genere Apiciorũ; solúmque natus vt fruges absumas: at serui mei, in dura solitudine, in labore aspero, neque panem habent, quo sustententur? Ad quid tibi diuitias dedit diuina liberalitas? nisi vt possis esse liberalis? An, vt te cibis occideres? vel, vt pauperes illius in vita seruares? Expergiscere, miser, &, ni malum vis, audi, quid mandet Deus: Quàm primùm diluculabit, seruis illius, ex omnibus, quæ tibi data sunt, sportulam transmitte. Neque graue hoc tibi videatur. Magnum beneficium præstat vniuersi Dominus, si quem gregis sui facit procuratorem. Doni loco ab eo accipit, quæ ipse donauit.

nauit. Qui ergò te semper pauit, vult nunc à te ipse pasci. Nam placuit illi, ex eleemosyna tua; reficere pauperes suos; & quidem eos, qui se se illi in locis solis totos consecrauerunt. Hæc exequere. Si neglexeris, scito; te superos iratos; si feceris, debitores habiturum.

§. VIII.

Solicitudo; apud homines magna, apud Deum sæpe non satis magna.

Terruerunt eum hæc verba, & somnos ruperunt: Nec enim potuit diutiùs dormire à cœlo tam robustis vocibus excitatus. Itaque multò; quàm consueuerunt isti, citiùs stratum deserens; de toto negotio seriò cogitauit. Cum autem nesciret Eremitarum locum, non illico se se excusatum censuit; non sua solùm nixus est prudentia; neq; sibi ipse senatus esse voluit; sed necessarijs; amicis; officijs seruísque vndique conuocatis somniúmne dicam, an visum nocturnum? ordine narrauit; & se parere monitis promptissimum ostendit: Ceterùm; quia ipse ignorârat, vbinam locorum serui illi Numinis morarentur; consilium viámque sedulò rogauit; æquè auidus itineris noscendi, atque exequendi mandati. Adhuc in eũ diem Fron-

tonius, cum ſuis; latebat; in abditiſſimo montis loco; quem ipſum, ne dum ipſos, præter ipſos nemo nouerat. Quare neque experti, neque qui ſenectâ erant ætate; conſilium viæ exigenti potuerunt reſpondere. Et tamen (ô Iudicia Dei!) nondum ſatis egit, qui conſilium non inuenientibus, aut in longum differentibus, ſat ſe egiſſe arbitrabatur. Quis non putaret, talem excuſatum? quis non ſomnium inane fuiſſe, interpretaretur? Neſciebat locum, non nouerat homines; poſt accuratam inquiſitionem, ne diuinare quidem potuit, vbi inuenirentur. Et facilè fortaſſe etiam erat diuiti, ventis tradere mandatum liberalitatis.

§. IX.

Quam ſeriam ſolicitudinem, in exequendis mandatis ſuis, Deus exigat?

Itaque curâ eleemoſynæ largiendæ omni ſepoſita; ſecurus ſui, nocte altera quieuit. Sed non quieuit Deus, qui ſæpe anguſtijs plagísq; homines adigit ad bene agendum. Adeſt ergo iterum Angelus, nec iam mitibus atque amicis, ſed ſæuis, indignantibus & minantibus verbis vrget torpentem ad ſeriam mandati executionẽ; ac, ne denuò ſomnium eſſe exiſtimet, addit verbis acribus graina

uia

tia verbera, & ictibus confirmat sermonem. Tum verò ille se è plumis actutum proripit, rursúmque, & familia omni, & vicinis vndique citatis, consilium non iam rogat, sed flagitat; iubétque, per alios quoscunque, sedulò inquiri in habitationem Eremitarũ, si ipsi nesciant. Verbis vim lachrymæ addiderunt; lachrymas autem non de nihilo cadere, ostendebant nondum obductæ cicatrices, ab Angelo percutiente, relictæ. Multùm agitata est quæstio. Nescientibus cunctis, nec viam consulendi inuenientibus, vnus diuina luce perfusus in hæc verba est locutus. Etsi mihi & viri illi, & eorum sedes incognita est, fortasse tamen consilium suggeram haud insalubre. Sunt tibi cameli septuaginta: his onera impone; & quicquid ad vitam seruorum Dei sustentandam necessarium est, è clitellis suspende: tum id facito, quod olim Philisthæi, iuxta consilium suorum Sacerdotum; nam *tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos iunxerunt ad plaustrum, vitulosq; earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum. Ibant autem in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethsames, & itine-* 1. Reg. 6. 10.

 re vno

re vno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Pari pacto tu cibarijs camelos onera, solósque, & duce destitutos, viæ committe. Quod si diuina hæc est voluntas, vt tuis opibus Ascetæ isti alantur, camelos tibi incolumes, eodem numero, remittet. Sin ab Orco tibi horum animalium iactura imminet, satiùs est iumenta perdere, quàm vitam. Qui enim te flagellauit, vt moneret duntaxat; vt puniat, penitus occidet. Dixit, & persuasit. Nec opulento tantùm illi, sed omnibus pariter, qui aderant, sententia probata est.

§. X.

Camelorum, in summa inedia, absq; duce, commeatum Dei seruis portantium prodigiosum iter.

Nullâ morâ interposita, educuntur è stabulis septuaginta cameli clitellati, horum quinque fæno & auenâ in dorsum alligatâ, ceteris sexaginta quinque humanus varij generis cibus est superiniectus; ita non solùm Dei seruis, sed ipsis etiam bestijs, qui illis seruierant, esca est suppeditata. Sic instructos septuaginta camelos, atque in via constitutos, non sine singultu fletúque, cœlesti custo-

custodiæ ac tutelæ ſolicitus paterfamilias commendauit, &, ſine duce, ſine comite, quocumque ferrentur, liberè ſibi abire permiſit. Nullus homo beſtias regebat; ſed non etiam nullus Angelorum. Rectiſſimis enim lineis, per inuia, & auia, tendebant ad cænobium Eremicolarum. Quarto die, labore & inedia patientiſſimè toleratis, eò peruenerunt, atque ante fores, præ laſſitudine, non iam ſteterunt, ſed procubuerunt. Primo camelo, ſicut & apud nos iumentis per paſcua vagantibus, tintinnabulum ad collum erat appenſum, vt ad eius ſonitum ceteri colligerentur. Sed tum, monachis, hora nona, hymnos pſallentibus, tintinnabuli pulſus non audiebatur. Cantu nec dum abſoluto, Frontonius Abbas, non procul ab oſtio clauſtri degens, idem ſimul & ianitor, & Antiſtes, occulto monitu, de feneſtra proſpexit, vidítque diuinæ prouidentiæ liberalitatem: nec tamen tantum diuinæ Bonitatis gaudium antè fratribus ſuis indicauit, quàm Numini debitas laudes abſoluiſſent. Redeuntes è choro ad ſe vocauit, monſtratíſque ordine camelis, ac oneribus ſarciníſque eorum, dixit: Vbi ſunt diffidentiæ, vbi murmurationes veſtræ? En præſentē nobis Domi-

minum! en Patrem, Bonitate sua, nobis incredulitatis vitium exprobrantem! Adeste, iumenta oneribus liberate, lassáq; reficite.

§. XI.

Fluctuans eleemosynæ dator, miraculoso camelorum reditu, prouidentiaq; Numinis, mirificè recreatur & confirmatur.

Dici non potest, quantis lætitijs incesserint, quantis gaudijs sint inundati, in quantas Dei laudes effusi? Tum & ipsi, & cameli sunt cibis recreati. Quoniam autem plus attulerant, quàm necesse erat modico viuere assuetis, noluit S. Frontonius occasionem dare cupiditati habendi. Nec enim ex illa hominum classe fuit, quæ nunquam potest satiari, aut dicere, sufficit. Quare, die insecuto, camelos iterum, media parte omnium rerum, quas apportarant, oneratos, & cum ijs auaritiam pariter à se ablegauit; Eulogias ad proprium Dominũ remittens. Minus erat octo dierum, cum is expectauit, horis iam etiam singulis in digitos missis, reditum camelorum: nec sine metu fuit tristitiáque amissorum. Vt quid enim bestiæ tam diu impastæ? An non leonum aliarúmque belluarum famem potiùs, quàm Eremicolarum

larum hominum ſatiauiſſe erant exiſtimandæ? ſine via, ſine duce mittere, quæ prudentia? jámq; conſilium, in quod priùs omnes pedibus iuerant, paſſim damnabant, pœnitebátque, rectè feciſſe. Dies erat poſterus & octauus, quo vicini amicíque omnes ad Diuitem confluxerant, vt eius dolorem ſolantibus verbis lenirent, paritérque diuinã clementiam exorarent, ne tanta ſeptuaginta camelorum iactura largiſſimæ eleemoſynæ meritum compenſaret. Ita mœſtis & ieiunis omnibus vnà conſidentibus, repentè cæpit aura ſpirare: cum auræ ſonitu, tintinnabuli ſonitus, ſed ſubobſcurus, vni eorum ad aures allabebatur. Preſſit vocem, & attentior videbatur ſibi percipere ſonum ſemper propinquiorem, de montibus, aduenientem. Exclamat, Euangelium, Euangelium bono nuncio date: redeunt cameli. Exſurgunt omnes properè, quà cui proximum eſt; currunt, volant; vident, eodem agmine, ordine, numero, itinere, cunctos ſaluè redeuntes. Fit ingens clamor, &, in triſtitiæ locum, gaudia immenſa ſuccedunt: gloria Deo laudéſque dantur. Hæc primus aſpectus effécit. Aſt vbi propiùs ventum, tum lætitiæ longè magis creuerunt. Neque

enim ſolùm cameli, qui iam perditi putabantur, recepti; ſed nulla macie infecti, nullo triſti vultu luridi, inſuper & media parte miſſorum munerum diuites inuenti. O quis tum omnibus ſenſus! ô quanta gratulatio! quæ exultatio Domini! quæ lætitia ſeruorum, qui applauſus amicorum, ac vicinorum! præſertim, cum, redditis camelis, nobiliſſimum conuiuiū & illis omnibus præſentibus, & quàm plurimis inſuper aliunde pauperibus inuitatis apparauiſſet; Eulogiáſque ſibi remiſſas, ínter eos, lætiſſimè diſtribuiſſet. Nec ſtetit hîc lætitia: ex illo enim deinde anno, quotannis, vſque ad mortem S. Frontonij, tempore, quo camelos primùm miſerat, diligentiſſimè annotato, diues ille ſemper ad D. Frontonij monaſterium, eoſdem, ſine duce miſit, tantò certiùs redituros, quantò ſæpius eandem viam recalcare didicerunt; quantóque, ducibus Angelis, quàm hominibus, viæ ſunt notiores.

§. XII.

Deo mancipati, Deo potiſsimùm curam culinæ debent relinquere.

Videtis, quo modo Vniuerſorum Dominus, aut quid diuitibus imperet? opes vult eos ſuas cum pauperibus habere communes.

Vide-

Videtis, quantam habeat curam ſuorum? Angelos mittit: ſomno ſopitos excitat; vigilantes inſtigat; brutas animantes ipſas, per deſertas ſolitudines, agit, vt illis cibum afferant, in tempore opportuno. Quid putatís tunc Eremitas feciſſe? an non omnem ſolicitudinem abiecerunt temporaliū rerum? an non murmurare, & querelas ſpargere deſierunt? an non, poſt illa, Domino in lætitia ſeruierunt? Idem & nos facturi ſumus, ſi ſpem in Deo, non in Mundo, non in aulis, non in noſtris induſtrijs, figamus; ſi à cælo, non ab Orco auxilium flagitemus: ſi in parte aſſis noſtri veniat, non quod prudentia carnis ſuggeſſit, ſed quod virtus ſuppeditauit: ſi exiſtimemus, *hominem non in ſolo pane viuere, ſed in omni verbo, quod procedit de ore* Dei. Matth. 4. 4.
Tunc enim non iam ebulliet murmuratio; non erumpet querimonia, non metus futuri alimenti quatiet; quia fiducia in Mundi Gubernatorem concepta, hæc omnia abſtergit. Fiduciam autem inducit firmátque diuinæ præſentiæ, ſcientiæ, potentiæ, miſericordiæ, non nuda & frigida cognitio, ſed aſſidua & practica meditatio. Sicut enim cibus viſu aſpectúque cognitus nihil iuuat; ſed cum in ore teritur, cum in ſtomacho digeri-

tur, tum demum vires roborat; ita parum prodest diuina scire, ad curiositatem; nisi etiam sciantur ad pietatem. Sciuntur autem, si meditatè atque ad vsum cognoscuntur: quod fit, quando lecta, vel intellecta vitæ nostræ actionibus accommodantur. Si ergo Deus vbique est, si tam bonus est, vt à gratia velit innotescere, si à misericordia nomen sibi facere; si in eo sumus toti, & ille totus in nobis existit, quantæ spei, quantæque lætitiæ causa est, tantæ scientiæ, potentiæ, clementiæ thesauros, intra nos, hoc est, in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animę virib⁹, in intellectu, in voluntate, in omnibus membris, in omnibus corporis particulis contineri? Cum ergo & omnes illius adsint opes, & nos capaces simus earum, & ipse pronissima voluntate diuitias suas diffundat in eos, qui ad illum confugiunt, longéque facillimè, qui ex nihilo omnia producit, possit, non solùm in anima gratiam creare, sed etiam corpori necessaria omnia aliunde adducere, cum possit commouere parcos ad largitatem, immites ad misericordiam, auaros ad liberalitatem, aut euocatis locupletioribus ex hac vita, hæreditates opulentas in egenos deriuare, immò,

sicut

ſicut tres pueros, oluſculis pinguiores facere, quàm alij Iouialibus cœnis & regum delicijs efficiantur; cum camelos ipſos ſine ductore regere, ſine paſtu, pluſculos dies, cõſeruare; *quid timidi eſtis, modicæ fidei?* quid contra Dominum murmuratis? quid indignè fertis? quid ad artes malas confugitis? quid iugum illius detrectatis? in ſimplicitate cordis, rem veſtram agite, & aget ſuam Deus: ſeruite illi, & ſeruiet ille vobis, ſupra conſuetudinem aliorum dominorum.

§. XIII.

Seculares quoque, eſcæ non nimiam debent curam habere; nec putare tempus pœnitentiæ adſe nihil pertinere.

Neque verò Religioſis duntaxat iſta dicuntur, qui omnem harum rerum curam Superioribus debent relinquere, & non culinæ, ſed toti cœleſtibus vacare; verùm multò maximè occinenda ſunt ijs etiam, qui vitam omnem diurnis nocturníſque laborib⁹ impendunt; qui iam timent, ne morbis debilitati, inidonei efficiantur, ad panem quærendum; iam, ne filij multiplicentur ſupra facultates: iam, ne hoſtis irrumpat, & longis curis parta auferat, & mille talia, quæ inquietos reddunt. Seruiant illi Deo, & De-

us

us alet seruos suos. Impendant, in quadragesima, operibus pænitentiæ, quantum in Bacchanalibus luxui impenderunt; extenuent ventrem jeiunijs, quem distenderunt epulis; emacient faciem inedia, tegant genas pallore, quas antea laruis deformarunt, & dæmonibus similes reddiderunt: induant tunicam cilicio vtiliter molestam, habitúmque seipsos flagellantium, qui ridiculis stultorum vestimentis tecti, per plateas, Mænadum, aut thyrsos vibrantium Baccharum instar, insaniuerunt: denique qui hostem peccatis suis meruerunt nobis adducere, virtutibus suis eundem propellant. Gerit enim se Deus erga nos, quemadmodum nos ipsi nos gerimus erga Deum. *Nulla creatura est*, ait S. Augustinus; *quæ non, velit, nolit, diuinæ prouidentiæ seruiat: Facit enim cum ea, quæ ex animo seruit, quod bonum est: de illa verò, quæ hoc non vult, fit, quod iustum est.*

S. August in epist. ad Galat.

CAPVT V.

Deum, tum in omni, tum etiam in pecuniaria necessitate, egentibus mirabiliter subuenire.

§. I.

§. I.
Ubinam ſpes noſtra potiſsimùm ſit ponenda?

PRofanorũ hominũ iudicio, *Nummus eſt humanæ potentiæ compendium*: rectiùs dicerent: *Deus eſt humanæ potentiæ compendium.* Siquidem *omnia ex Deo; qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis.* Ille fons eſt omnis boni, ille Oceanus miſericordiarum, ille aſylum, ille ſcutum, ille portus, ille ſpes prima & vltima miſerorum. Vt proinde ſtolidè erret, qui fonte deſerto, ciſternas ſibi fodit, *quæ continere non valent aquas;* aut fluuium, immo riuulum exiſtimat Oceano pleniorem: vel qui cum vidit, ſe ab omnibus deſeri, etiam à Deo deſertum arbitratur: quaſi exhauſta ſit illius potentia & bonitas, aut fons miſericordiæ exſiccatus. Non nouit Deum, quiſquis, in rebus ambiguis, non conſulit Deum. Non credit Mundi gubernatorem Mundo eſſe ſuperiorem, quicunque ſe abſtrahi ſinit per vllam rem Mundi. O quàm vilis ſpes eſt, quæ nititur Mundi potentia! quàm fugax Principum cuſtodia! quàm fallax fiducia creaturæ! Faſcinatio;

2. Cor. 5. 18.
Epheſ. 3. 20.
Ier. 2. 13.

tio, error, cæcitas, insania est, quærere vbique vel solatia, vel auxilia; & ignorare, aut obliuisci eum, in quo sunt omnia; immo etiam à quo sunt omnia; qui & est omnia in omnibus.

§. II.

Deus omnia est omnibus.

De Protheo; versipelle falsoque Deo; quem alij Vertumnum appellauerunt, Propertius ita cecinit:

Propert. lib. 4. eleg.

Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcunque voles, verte; decorus ero.

Multò veriùs hæc de vero Deo canas: in omnibus periculis; in omni necessitate, est opportunus. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Amemus vbique pulchrum. Pulcher est in pulchro Mundo, quem condidit; pulcher in potentia; pulcher in misericordia; pulcher in æquitate; pulcher in cœlo, pulcher in terra; decorus in Virginis vtero; decorus in iumentorum stabulo; decorus in cunis, decorus in templis; decorus in spinis, decorus in ipsa crucis deformitate: potens verbo, potens facto. Pete ab eo, quidquid à Deo peti potest, & (si quidem tibi proderit) scito, te impe-

Hebr. 4. 16.

impetraturum. Accuſant te homines? premunt aduerſarij? ad illum recurre, & audies: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Pſal. 90. 14.
Sic ſperantes Apoſtolos à calumnijs Phariſæorũ liberauit, quando *eſurientes cœperunt vellere ſpicas; & manducare*, & *Phariſæi videntes dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt; quod non licet facere ſabbathis:* Tunc enim *dixit eis: Non legiſtis, quid fecerit Dauid: quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? Aut non legiſtis in lege, quia ſabbathis ſacerdotes in templo ſabbathum violant, & ſine crimine ſunt. Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic. Si autem ſciretis, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſſetis innocentes.* Matth. 12. 1. 1. Reg. 21. 4.
Eodem pacto ptotexit illos, quando *acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cum panẽ manducant.* Nimirum ſic Deus iudicat, vt malè iudicantes damnet; & cum nemo eſt, qui defendat innocentes, ille patrocinium eorum ſuſcipit. Matth. 15. 1.

Quod

Quod qui credit, vndique linguis appetitus; libenter ad illum recurrens dicit: *Redime me*
Psal. 118. *à calumnijs hominum.*

§. III.

A consanguineis deserti, à Deo non deseruntur:

Quid, quòd ab ipsis etiam amicis, cognatis, fratribus ac parentibus deserti, à Deo nõ deseruntur? Neque enim vana est laus illa: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt*
Psal. 26. 10. *me; Dominus autem assumpsit me.* Nonne amici Iob tales erant, vt eis meritò diceret:
Iob. 16. 2. *consolatores onerosi omnes vos estis?* Ipsa eius vxor, tanquam Lycisca, ante eum stabat, & latrabat: ipsi filij & filiæ mœrore ingenti eũ affecerunt: deseruerunt eum opes; deseruerunt vires; deniq;, velut catharma, in sterquilinio iacebat, *Dominus autem assumpsit*
Iob. 41. 10. *eum: Et addidit omnia, quæcunq; fuerant Iob, duplicia; & benedixit nouissimis Iob, magis, quàm principio eius.* A fratribus desertus erat Ioseph; sed *Dominus assumpsit eum.* A patre
Luc. 9. 59. desertus erat; qui dixerat: *Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Sed Dominus assumpsit eum* inquiens: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Neque mater potuit fili-

filium iuuare, quem, ante portas vrbis Naim, loculi tactu surgere iussit Christus; potuit ergo iuuare Christus; & potuit dicere adolescens: *mater mea dereliquit me, Dominus autem assumpsit me.* Luc. 7. 13.

§. IV.

Opificum instructio, vt ditescant.

Pastos esse ab eodem Seruatore, qui; quod manducarent, non habuêre, supra meminimus. Sed & opifices necquidquam sudantes, si ei necessitatem suam aperiant, nequaquam deseruntur. *Præceptor, tota nocte, laborantes nihil cepimus*, ait *bonus* alioqui *cymbæ liniq; magister.* Qua arte aliquid capere potuit? *In verbo autem tuo laxabo rete*, ait. *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* O opifices, quibus nihil ex voto succedit, quid totos dies, totásq; noctes frustra fatigamini? quid oleum & operam perditis? verum est, sudatis: verum est, vigilatis: verum est, suendo secando, fabricando, piscando vos rumpitis: verum est, pretium duplum laboris exigitis, & captatis: & nihil hæc omnia proficiunt: figuli opes colligitis: semper egetis, semper idem inopiæ saxũ voluitis; omnia lucra in sacculum pertusum mititis: Luc. 5. 5.

quidquid influit, effluit; quasi ad Danaidũ dolia damnati in cassum laboratis. Vultis caussam nosse? non est vobiscum Deus: non offertis Creatori vestro manè diem, vespere noctem: non præcedit laborem vestrum oratio: non sumitis à cruce præmissa benedi-
Luc. 5. 5. Ioan. 16. 24. ctionem. Dicite cum Petro, ad Christum: *In verbo tuo laxabo rete. Vsque modò non petistis quidquam in nomine* illius. *Petite, & accipietis.*

§. V.

Cur, & quo miraculo, Christus staterem è pisce dederit?

Quin etiam si regnum illius nõ sit de hoc mundo, nec venerit ad dandas caducas, sed æternas atque cœlestes opes; tamen, si ita
Matth. 17. 24. profuerit, etiam pecunias prouidebit. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant* (publicani) *ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester soluit didrachma?* (id est, duo drachma) *Et ait: Etiam.* Quod de facto, non de jure, Christum soluisse, semper viderat, vel hoc ipso postea falsò accusatum, quasi tributa Cæsari solui prohibuisset. *Et cum intrasset in domum*, Petrus, *praeuenit eum IESVS, dicens: Quid tibi videtur, Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum?*

sum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te. Stater enim, seu siclus, erat tetradrachmum, id est duo didrachma, vnum pro Christo, alterum pro Petro; quia vnusquisque didrachmum, seu dimidium sicli pendere debebat. Expende hîc judicium Christi, & in caussa, & in miraculo. Caussam ipse indicans ait: *Vt non scandalizemus eos. Scandalum* id fuisset, non *datum*, sed *acceptum*, vt vocant Theologi, ex quorum sententia non *acceptum* sed *datum* duntaxat *scandalum* est necessariò vitandum. Ea tamen erat bonitas Christi, vt qui alibi *scandalum acceptum* contemnendum censuerat dicens: *sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, hoc tamen loco, vel grandi miraculo interueniente, voluerit vitare. Nam miraculum multis de caussis fuit magnum. Etsi enim Theophilacto daremus, staterem illum, non pecuniam fuisse, sed margaritam; vnde sciuit Christus, piscem primò trahendum margaritam habiturum, si non, spiri- Matth. 15. 14.

tu Prophetico, absentia vidit? sed incredibile est, fuisse margaritam, cum margaritæ non in ore, sed in ventre; non in piscibus, sed in conchis soleant inueniri. Fuit ergo verus siclus, & miraculum inde maius, quòd Christus absens sciret, quis fuerit ille piscis, qui in ore staterem esset gesturus; & quòd sciret, illum primò ascensurũ; immo quòd potiùs fecerit, vt ille primus ascenderet; aut quòd in ore ascendentis staterem ipse creârit aut formârit; nisi enim ibi primùm eum fecisset, non in ore, sed in ventre piscis stater repertus fuisset: deglutiunt enim pisces, quod ore rapiunt. Quo ex facto apparet, quantis miraculis vel pecuniam quoque suppeditet indigentibus benignus Deus. Quod & per Matrem suam legitur fecisse.

§. VI.

B. Virgo, per Angelum, egenti monasterio aurum mittit.

S. Gregorius Turon. lib. I. de glor. Martyr, §. II.

Monasterium est valde magnum in Hierusalem, non modicam habens congregrationem in quodam loco, inquit Gregorius Turonensis, *Deuotio populi sæpe plurima confert. Veruntamen Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem, quodam tempore, vt, præ penuria egestatis, valde eis victus necessaria defice-*

ficerent. Congregatio itaq; garrula Monachorum, cum, vna atq; alia die refectionis, alimoniam non caperet, vociferantur ad Abbatem dicentes: Largire cibos, aut permitte discedère vnumquemq; in locum, quo vitam propagare possit; alioqui, nec te consulto, discedimus, ne pereamus fame. Hæc, ijs dicentibus, ait Abbas: Oremus, fratres dilectißimi, & Dominus ministrabit nobis cibos: nec enim potest fieri, vt deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit Mundo. Quibus vigilantibus, nocte tota, ac psallentibus, manè orto, ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, vt vix vel reserari ostium posset. Accepto autem cibo, gratias egerunt Deo. Post multos verò annos, iterum deficiente cibo, clamauerunt Monachi ad Abbatem, qui ait: Vigilemus, ac deprecemur Dominum, & forsitan transmittere dignabitur alimenta. Deniq; prosternuntur ad pauimentum templi. Vigilantes itaq; noctem in Psalmis hymnisq; & Canticis spiritualibus, cum se, post matutinas somno dedidissent, venit Angelus Domini, & posuit, super altare, multitudinem innumeram auri. Erant enim ostia ædis obserata. Exurgente autem manè Abbate cum Monachis, ad celebrandum cursum, viderunt multitudinem auri su-

per altare. Et ait Abbas Custodi adituo: Quis Præfectorum huc ingressus est? qui hæc detulit? Respondit: Post egressum vestrum, nullus hîc hominum accessum habuit, sed ostij clauem munitam retinui, & mecum habui, donec surgeres ad commouendum signum. Tunc stupens Abbas cum Monachis, munus cœleste intellexit, gratiasq; Deo agens, colligit; comparatisq; victui necessarijs plebem creditam affluenter refecit. Nec mirum, si B. Virgo, sine labore, suis protulit victum, quæ sine coitu viri concipiens, virgo permansit & post partum. Hæc S. viri verba sunt, quibus ego aliud adiungam verbis meis.

§. VII.

B. Virgo peccuniam suppeditat B. Hermanno.

Surius 5. April. in vita eius, & F. Io. Chrysost. de Större in vita edita Antuerpiæ Anno 1627.

Hermanus, postea, ab ipsa Deipara, cum duobus Angelis, ei se spectabilem præbente, *Iosephi* sibi nomen adsciscere iussus (cuius Beatificationem Ferdinandus II. Imperator Diuis affectissimus Romæ à Sede Apostolica petiuit) antè, quàm, in Steinfeldensi cœnobio, sub S. Norberti vexillo, in Præmonstratensium ordine, stipendia faceret, cum adhuc septennis, Coloniæ, scholas frequentaret, ceteris condiscipulis, festis ac Dominicis

eis diebus, in platea pueriliter lusitantibus, solebat se subducere, atque in B. Virginis monasterio, ad quandam, diuinæ Matris Filium Deum brachio gestantis, se se imaginem illatebrare. Ibi, haud secus ac si statuæ viuerent, ita iam cum Matre verba faciebat: iam cum Filio eius suauissimè, & tanquam cum æquali, familiarissimè sermocinabatur. Si panem nactus erat, aut si pomulum habebebat, Matri Filióque eius lubens, gaudénsque sportulam attulit ac porrexit. Et verò acceptum id sibi munus esse, cœlestis Virgo perspicuè ostendit: quippe quæ extento, quantumis ligneo brachio, munus acceptauit. Quin & locuta est cum Hermanno elinguis imago, iussitque eum cum Puerulo suo colludere. Quod ad vespertinum vsq; tempus factum, vt verè diceret posset diuina Sapientia: *ludens in orbe terrarũ, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Prou. 8. 31. Parentes illi erant pauperes, quibus non suppetebant sumtus, ad illum ritè vestiendum. Quare, aspera ac frigida hyeme, moris sui seruans, ad castæ Matris statuam in templum venit. Vsque adeò cœlesti flamma æstuantem rigens bruma nõ impediuit. Ibi Imago rursus verba fundens interrogauit, cur, tempore tam frigido, nu-

dis incederet pedibus? cui ille respondit: *Calceis careo.* Mox illa, lapidem, inquit, illum vides? (& digito lapidem monstrabat) sub eo quatuor denarios reperies, eos tolle, & calceos eme. Adit lapidem, inuenit pecuniam, & exultante animo ad gratiæ tantæque liberalitatis Matrem recurrit, eique gaudibundus nummos ostendit. At illa quoties, posthac calceis, tabellis, aliaque scholastica supellectili indigebis, eum lapidem adi, semper inuenies monetam. Quid puerilis ætas, quid mulier, tacitum secretúmue seruat? Igitur neque potuit ista res vel ab Hermanno puero, vel ab Hermanni matre femina diu cælari. Vulgata est. Rescientes reliqui etiam pueri, & ipsi eundem lapidem adierunt, mouerunt, sed nihil repererunt: quia non itidem, vt Hermannus, coluerant thesauri monstraticem. Tanti refert, vnde quis non opem solùm, sed opes etiam petat.

§. VIII.

Vbi verum Fortunati marsupium reperiatur?

Fabulæ Fortunatum quendam fingunt, in silua, Deam obuiã habuisse, quam Fortunã vocant, à qua marsupium dono acceperit, eius virtutis, vt quoties vellet, ex eo aureos num-

nummos posset educere, tanquã è fonte quodam pereñi, aut potiùs fluuio & Pactolo auri. Fingunt hæc. Somnia sunt Parnassi. Felicior Hermannus fuit Fortunato. Sub lapide semper pecuniam reperit, quoties quæsiuit. Docuit ergo, non à Fortuna, sed à MARIA, eiúsq; in primis Filio, opes sustentationi necessarias esse flagitandas. Neq; Midas Phrygiæ rex aurũ quæsiuit, vbi debuit: quæsiuit apud Deũ, sed falsum, & qui ad dilapidãdas, non cumulandas diuitias est opitulator. De vera in verũ Deũ fiducia à S. nostro Ignatio discenda, infra memorabo: hîc pecuniæ insperatò suppeditatæ exempla è vita illius appono.

Ouid. lib. 11. Metam.

§. IX.

S. Ignatij Loyolæ in Deum fiducia.

Romæ, Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus, propter obitum Pauli III. Pont. Max. in noui Pontificis electione occupatis, inopia nostri premebantur: quibus extremam etiam famem metuebant multi, humana ratione rem æstimantes. Ignatius verò eo ipso tempore familiam suam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis Candidatos in Societatem admisit: multis eius animum admirantibus, quibus, quod consecutũ est, admirationem ademit. Nam hoc ipso tempore cum aliquando

Petr. Ribaden. lib. 5. vitæ S. Ignatij cap. 9.

Ioã. Crucius, domesticus obsonator homo simplicißimus, & feruens spiritu ex D. Ioannis Lateranensis templo vesperi domum reuerteretur, ad amphitheatrũ, quod vulgo Colosseum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos silentio tradidit. Eius aspectu plurimùm Ioannes commotus est, & horrore quodam perfusus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis subitò euanuit.

§. X.

Iterum pecunia S. Ignatio, à Deo mittitur.

Alias etiam, dum idem Ioannes summo manè obsonatum it, obuiam illi factus est quidam, qui marsupium aureis nummis plenum in manum dedit. Et, quòd nondum planè illuxisset, quis esset, agnosci non potuit. Obsonator certè noster Dæmonem suspicatus, eiusq; timens insidias, in templum D. Mariæ supra Mineruam, quod proximum erat, se repentè coniecit, precatusq; Deum est, vt se dolo, & fraude omni liberaret. Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli suspicabantur, & à Diabolo, vt nobis imponeret, præstigijs quibusdam adumbratam. Sed tamen vera, & recens, & aurea fuit: eaq; debita soluta sunt. Eodem penè tempore, in alia nostris difficultate versantibus, dum in

propa-

propatulo loco, apertam arculam tomento & scrutis vilißimis refertam, P. Ioannes Polancus domi perscrutatur, & scripta quædam diligentiùs inquirit, recentes nummos aureos fulgentesq́; in ea casu reperit, quibus subuentum præsenti neceßitati est. Nam illud diuinæ quidem prouidentiæ signum, minùs tamen mirandum est, in summis rei familiaris angustijs fuisse, qui nostræ neceßitatis inscij, pecuniam vltro offerrent, vel etiam benignè domum deferrent: qua ratione nostram sæpe inopiam subleuarent.

§. XI.

Virginibus, contra inopiam & infamiam, succurrit Virgo Virginum.

Persimile, & aliquantò etiam prodigiosius est, quod à Ioanne Iuniore aliisque memoratur, de Nobili quidem, & pia, sed paupercula matrona, quæ, cum non esset, quod alendis geminis filiab⁹ sufficeret, adduxit eas in templũ, ad statuam Matris Dei, ibi man⁹ filiarum in manus Mariæ transponens: *Has meas filias,* inquiebat, *quas, ob inopiam, sustentare nõ possum, tibi, ô Dei parens, in manus trado, iure meo materno omni tibi resignato, vt tu illas pariter in vita, & virginea illibataq́; castitate conserues.* Oratione, in hunc modum, peracta, domum regrediuntur. Redeuntibus

Io. Iunior in scala cœli. Leon. Mayr. 21. Maij in stemmate Mariano.

bus incognitus iuuenis ſacculum 100. talentorum offert, hoc ſe aiens patri earum adhuc debuiſſe. Hac pecunia mater filias decentiùs veſtitas reliquis etiam rebus neceſſarijs inſtruit. Sed adſunt illico oculi maligni, & linguæ Theoninæ, quæ ſpargunt, inhoneſto quæſtu, filiabus, peculium obueniſſe. Doluit caſtiſſimis puellis magis infamia, quàm inopia. Quò confugerent virgines, niſi ad Virginem, & filiæ, niſi ad Matrem? Eunt comprecatum; queruntur, apud Deiparam, de publica infamia, in publico loco. Extemplo oſtenſum eſt, Superos audire mortalium preces. Nam nullâ mora, in conſpectu totius ciuitatis, duo pulcherrimæ iuuentutis Angeli è cœlo aduenêre, manibúſque elegantiſſimas coronas ferentes dicebant: *Hæc ſerta vobis, in teſtimonium illibatæ veſtræ virginitatis mittit Maria IESV & veſtra Mater.* cum dicto ſerta obtulerunt, atq; etiam oculis mortalium ſe ſubducentes magnã & Deiparæ, & ambarum virginum opinionem, in ſpectantium animis, reliquerunt. Quippe duo cœnobia extemplo exædificata ſunt, in quibus duæ tantæ cœli gemmæ conderentur. Ita dotare nouit Dei Mater filias ſibi commendatas. Bonæ ſunt artes, quæ diui-

nis

nis auxilijs nituntur. Malis artibus homines plus amittunt, quàm acquirunt.

§. XII.

Fabula dantis, quod auferre volebat, & historia accipientis, quòd, templi adeundi caussa, à labore abstineret.

Quod vel Phryx ille voluit indicare, cuius hæc sunt. *Valde exercitatus fur, egregiam & quæstuosam operam quadam nocte nauârat, compilatis aliquot diuitum arculis. Itaq; auro argentoq́; refertum sacculum portans etiam in pauperis ædes deuenit: quas scrutans cum nihil inueniret rerum preciosarum, in farinariũ tandem vasculum incidit. Ne vacuus autem, contra disciplinam suam, discederet, ponit sacculum, in illum congesturus farinam. At pater familias strepitu excitatus de somno, & timens victui suo, in furem, telo arrepto, cum clamoribus irruit. Ille territus ex ædibus, sacculo relicto, fuga euadit. At pater familias, excusso igne & lumine illato, magnas, præter spem, opes reperit.* Sic *ille qui farinam* pauperi *relinquere noluisset, auro & argento caruit.* Nimirum sæpe ex insperato succurritur innocentibus; & malè parta, malè dilabuntur, longéque maius lucrum reportat, qui lucrũ Dei caussa negligit. Cuius rei insignem habemus, in Æsop. fol 373.

messo-

messore; doctrinam, à probatæ fidei authore, enimuerò ab oculatis testibus relatam. Miles, in Germania, diues agri, messores conduxerat, qui, secto gramine, fœnum facerent. Illi in opus strenuè incumbebant, vt diurni laboris mensuram quisque impleret. Erat fortè peruigilium Sancti cuiusdam, cũ sub vesperam, vndique, in pagorum turribus, campanum æs cœpit compulsari, signúmque dari ad Vesperas. Eo sonitu audito, *Desistamus,* inquit vnus è messoribus, *falcemq; seponamus, tempus est Vesperarum.* Pia monitio, apud crudos animos, non habuit locum. Quin dicterijs insuper asperserunt ceteri monitorem. Ille tamen nullis sarcasmis absterritus, falce & opere relicto, ad preces cantúsque Vespertinos se contulit, reliquis porrò gramen cædentibus. Tertio inde die, in pratum veniens, & longo, post reliquos, interuallo, laborem incipiens pro deridiculo habitus est. Tulit cachinnos patienter: sed non diu fuit, cùm irrisores, se ipsos senserunt cachinno dignos. Vix enim ille manu falcem vibrare cæperat, cum ex eminentiore graminis surculo auream quandã miræ & visendæ magnitudinis monetã pendentem conspexit. Quid illo latius? Cadit illico

Thom. Cantiprat. lib. 2. c. 53. §. 9.

illico in genua, & præ gaudio, lachrymans in diuini Largitoris laudes effunditur. Concurrunt ad clamorem socij, cõcurrit & prati dominus miles: vident nũmum non vulgari modo, sed prodigiosè inscriptũ. Miles, qui olim aliquot annos, inter scholas, haud magno sanè operæ precio contriuerat, litteratã tamen monetam, voce patria, legit, & hunc ferè sensum inuenit, *Manus Dei me compegit; & in donum me redegit pauperi: qui non infregit diem Sancto celebrem.* Nũmum hunc vxor militis tanti fecit, vt magna pecuniæ summa eum emtum multis postea, in rei gestæ testimonium memoriámque, commonstrârit.

§. XIII.

Deo fidens inuenit, quod nimis sollicitus negligit.

Narrabo hîc, quòd à viro diligente atque industrio in eandem rem narratum habeo. Duo vnà iter faciebant, quorum vnus in perpeti metu de victu comparando versabatur, alter verò de Dei Prouidentiâ certus ac sui securus plenus lætitijs pergebat. Hoc mirari ille, & è socio quærere; quænam res ei tantam animi tranquillitatem adferret? Nam

ego

ego, inquiebat, curis conficior, & quandò de futura vitæ sustentatione cogito, intemperijs agitor. Ast ego, inquit alter; dudum hæc examussim cogitaui, curámque omnem in eū conieci, *Per quem nec ales esurit*. Quanquam neque otiosè vitam agere decreui, sed statui, manū cum Deo mouere. Quia igitur immobili adhæreo, ideò quietus sum. *Quid verò est, manum cum Deo mouere?* rogat iste. Cui alter *Fideliter*, inquit, *artem, quam didici, exercebo: cætera Deo permittam*. Dictum hoc impio risu excepit anxius ille, dicens: *Vidisse se multos Deo fretos deceptos esse*. Mox ergo relapsus ad suas dubitationes, & deliberationes cœpit, inter alia, percelli metu cæcitatis; *Et quid*, inquit, *te futurum esset; si cæcus fieres?* In hac formidine, incipit tentare; quomodo cæcus factus progredi posset? Itaque oculos claudit, cautéq; manu prætentâ; magno spatio nouus andabata progreditur. Verùm ita sponte cæcus marsupium auro grauidum, in viâ iacens; præterit, quod ponè subsequens socius conspectum illico sustulit, dicens; solicitudine nimia excæcatos diuinæ Prouidentiæ largitatem non videre. Quia igitur in hunc modum
Psal. 106: 41. *adiuuit pauperem de inopia*: venite & *timete Domi-*

Dominum omnes Sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominũ non minuentur omni bono. Huc ergo, *qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite emite absq; argento.* Psal. 33. 10. Isa. 55. 1.

§. XIV.

Vtilißima pecuniæ, per piam vsuram, augendæ ars, dare pauperibus.

Absque argento emit, qui spe & fiducia in Deum emit: *absq; argento emit*, qui non confidit in multitudine diuitiarum: *absq; argento emit*; qui argentum dispergit & dat pauperibus; nam centuplum accipit, etiam in hac vita. Luculentã rem recenset Ioannes Moscus cognomento Euiratus, his verbis: *Cum in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domini Pauli candidati, dicens: cum essem in ciuitate Nisibæ: erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes; habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quodam ait vir vxori suæ: Demus hæc numismata fæneratori; vt aliquod solatium ex eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus; & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor ait viro, si placet ea fænerari, veni; demus illa sub* Io. Moscus Euiratus in prato spirit. cap. 185.

fænore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius. Et vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? ait illa: ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet & capitale duplùm reddet. Qui ait: Eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinq; magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes dicens: istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cæpit erogare pauperibus. Reuersiq; sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil, vt video, nobis daturus est Deus Christianorum, ex debito illo; & nunc angustamur inopiâ. Respondit mulier & ait illi: Profectò dabit. Vade, vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate.

Quo audito, ille currens abijt in sanctam Ecclesiam. Veniensq;, in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circuiens totam Ecclesiam neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret à se ipso, cui diceret aliquid, aut à

quo exigeret, aspexit, ante pedes suos, in marmore iacere numisma vnum de illis, quæ pauperibus ipse erogarat, inclinansq́ue se & accipiens illud abiit in domum suam; & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiam, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi, vt dixisti, nullusq́ue mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit. Ille enim, inuisibili potestate suâ, disponit hunc Mundum. Sed vade, Domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rursusq́ue ipse prouidebit nobis. Abiit ille & emit sibi panem & vinum & piscem, & veniens domum dedit vxori. Quæ accipiens piscem cœpit ipsum purgare; exenteransq́ue illum, inuenit in visceribus eius lapidem valde mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen sciebat, quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen quid esset. Cùm autem comedisset; ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum, si quid fortaßis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, noue-

rat & ipse quid esset, vtpote simplex & rudis. Tulit itaque lapidem & abijt ad Trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere, inuenitq; illum, jam clausis omnibus, egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eò soluam? ait autem ille: da quidquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinq; numismata. Putans autem venditor, quia illuderet sibi, dicit ei: Et quantum vis pro illo persoluere? Existimans Trapezita, quòd ita ille, per ironiam, loqueretur, ait ipsi: Accipe decem, pro eo, numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi Trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea juramento affirmaret, cœpit ille ampliùs lapidem æstimare. Paulatim verò emptor ascendens vsq; ad trecenta numismata peruenit, deditq; illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad vxorem suam gaudens. Quæ cum videret illum exultantem, dixit: Quanto illum vendidisti? Putabat autem quòd illum quinq; aut decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numis-

numiſmata proferens dedit illa vxori ſuæ dicens, tanto ſe illum vendidiſſe. Illa verò ſummam diuinæ bonitatis clementiam admirans dixit ei: Ecce DEVS Chriſtianorum qualis eſt, quàm bonus, quam gratus, quàm diues! Vides quia non ſolùm quinquaginta numiſmata tibi reddidit, quæ tu illi mutuaſti, ſed paucis diebus tibi ſexduplicata reſtituit? Agnoſce igitur, quia non eſt DEVS alius, neque in terrâ, neque in cœlo, niſi ipſe ſolus. Ille verò miraculo admonitus, cum experimento didiciſſet & ipſe veritatem, effectus repentè Chriſtianus, glorificauit Deum & Saluatorem noſtrum Chriſtum cum Patre & Spiritu ſancto, plurimas referens gratias prudentiſſimæ vxori ſuæ, per quam vera Dei notitia ipſi in veritate conceſſa eſt.

§. XV.

Vxores quantum viris poßint prodeſſe?

Verè bona vxor magnum eſt bonum mariti. Hæc docuit virum ſuum ſanctam vſuram; neque ſolùm diuitem fecit, ſed etiam Chriſtianum. Vtinam haberet multas imitatrices! Aliæ vxores, vt earum ſuperbiæ ſatisfiat, coniuges ſuos, ad fraudes, ad rapinas, ad mille dolos adigunt; furta eorum occultant, diſtrahunt, diſſipant; neq; conantur bonis artibus diteſcere. Enimuerò

blanditijs, aut nequitijs suis corda virorum euertunt, & ad hæreses, aut alios errores, nec rarò ad idola pertrahunt, quod ipsi contigit Salomoni. Non est hoc bonæ vxoris, de qua dicitur, *sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem*: quod de S. Cæcilia legimus, quæ maritum suum Valerianum; de Theodora, quæ Sisinnium; de Clotilde, quæ Clodouæum; de Natalia, quæ Adrianum, per preces, per verba, per bona opera, per exempla sancta, conuertit. At maritum habes fidelem? si non potes illum conuertere ad fidem, in qua iam est, conuerte ad iustitiam, conuerte ad misericordiam, conuerte ad charitatem; doce eum dare eleemosynas, nec ei manũ inijce dare cupienti, quod multas, prô dolor, auarissimas Orci Nymphas audiuimus factitare.

1. Cor. 7. 14.

§. XVI.

Non malis, sed bonis artibus, pecunias esse quærendas.

Discite hîc & vos pecuniæ sititores, non pluris facere industriam vestram, quàm gratiam diuinam: non magis confidere, in vestro labore, quàm in Dei ope. *Vanum est vobis, ante lucem surgere*; vanum, *tota nocte, laborantes* vigilare, & *facere operationem* in flumi-

Psal. 126. 2.

fluminum nauigandorum, aut ſudorum *a-quis multis;* nihil capietis, ſi Chriſtus non ſit vobiſcum. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Hic meſſor plus ceſſando meſſuit, quàm alij, vſque ad occaſum ſolem, ſe defatigando. Diſcite, mortales inter vera & vana auxilia, diſcrimen facere. Nolite vobis promittere à mandragoris pecunias; non fert ea radix nummos. Nolite effodere theſauros, quos atri cuſtodiunt canes. Cerberus, non Deus; Gryphes, non Cœlites, habitant in illis hypogæis. Nolite animam veſtram vendere tribus Philippæis, Chriſtum triginta argenteis. Non dat Orcus opes, quibus diteſcatis. Cum putaueritis vos habere crumenam ære grauem, carbones theſaurus erunt; & ſæpius ſtercora, quàm numiſmata colligetis. Denique, quando nihil acceperitis, cum Pluto, Plutonem eſtis adoraturi. Deum colite, ille aurum creauit. Ille, cum nemo iuuerit, ditabit. Ille & diuinam virgulam, & auream, ſed caſtam, pluuiam poteſt è cœlo mittere. Ab illo, tanquam ſponſæ, arrham accepiſtis, quidquid habetis. Caue, homo, ne de tua anima ſit illa querela: *Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei* Oſee. 2. 8.

frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal, quasi dæmonis, non Numinis dona; ab Inferis, non à Superis impetranda. Si quare indiges, Patrem adi, non hostem, apud quem, *qui volunt diuites fieri, incidunt in ten-*
1. Tim. 6. 9. *tationem, & in laqueum diaboli.* Hinc tam multi, ob amissam vnicam vaccam, aut leue damnum, seipsos suspendunt: verè enim in laqueum diaboli incidunt, quem illis tetendit.

CAPVT. VI.

Diuinæ bonitatis iudicia, in Sacramento Baptismi & Confirmationis, gratiaque diuina, mirabiliter suppeditatis.

§. I.

Saulo fidei, Eunucho baptismi gratia quàm insperatò oblata?

Vòd si, iudicio Dei, à pecunijs alijsque terrenis bonis homines desertissimi tantã habent compensationem, vt vel diuinitus pecuniâ iuuentur, vel alia accipiant bona pecunijs longè præstantiora: quid egenti non erit sperandum de cœlestibus thesauris? Inter quos est diuina

uina à Christo promanans gratia, quæ minimè opinantibus atque etiam haud merentibus sæpe affulget & datur; diuináque Sacramenta, quæ mirabili prouidentia instituta, mirabiliore modo nonnunquam hominibus offeruntur. Nempe non minùs menti, quàm corpori mortalium iudicat prospiciendum Deus; qui sæpe illa occasione aut ratione adest, qua minimè putauisses. Ita ex Saulo Paulum fecit, quando eum Ecclesiam discipulósque Christi flagrantissimè persequentem, ipsa cæcitate oculorum, illuminauit. Ibat *spirans minarum & cædis in discipulos Domini: & subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Ita *vir AEthiops Eunuchus, potens Candacis reginæ AEthiopum*, à Philippo, in fide, eruditur insperatò. Mittitur ab Angelo Philippus *ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam*, & nec dum ipse scit, cur mittatur. Mittitur & ad currum, in quo sedebat Eunuchus. Occurrit locus opportunissimus Isaiæ, de Christi Passione, prophetantis: occurrit & aqua: denique & ipsi Eunucho occurrit, vt diceret: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ad hunc modum lauit AEthiopem, sed vtiliter, Deus, nihil minùs, quàm, de hoc lauacro cogitantem, cum

Act. 9. 1.
Act. 8. 27.

domo exijsset. Sed tamen Saulus, quando in mala via iter faciebat; AEthiops, cum Deum quæsiuit, conuersus est. Vnde admiranda Dei iudicia se se aperiunt, qui & sequentibus, & persequentibus venit obuius ad auxiliandum.

§. II.

Fides & miraculosus baptismus, à Petro Apostolo custodibus, in carcere, ministrantur.

Baron. t. 1. An. 68. & Thom. Boz. lib. 1. de sig. Eccl. c. 16.

Id autem, quod Eunucho baptizato, Pauloque conuerso euenit, in omnibus Sacramentis contigisse, potest ostendi. Nam in primis de aqua etiam diuinitus ad baptismũ oblata, illud refert Baronius. Cũ An. Christi sexagesimo octauo S. Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum missus à Processo & Martiniano militibus asseruaretur, ipsos suos hos custodes ad Christi fidem adduxit. Iam crediderant; sed defuit aqua baptismo necessaria. Non defuit ergo Deus. Extemplò, quasi saxo vena esset secta, ita, in vicem sanguinis, fons erupit: qua aqua Processum & Martinianum tinxit Petrus. Nemo loco diffidat, qui Deo fidit. Nusquam & nunquam illi deest, quod prodest: quosq; mortalium iudicia sæpe abiectissimos ne pistrino qui-

quidem dignos censent, eos diuinus oculus ex persecutoribus Apostolos, ex lictoribus martyres, denique ex nigris candidos facit atque cæli candidatos.

§. III.

Misericordiæ opere baptismus à peccatrice impetratus.

Stupendum eiuscemodi Dei iudicium fit manifestum etiam ex alia, commemoratione digna, historia, quam, sub Paulo Episcopo Alexandrino, circa annum Domini quingentesimum trigesimum septimũ contigisse, in Prato spirituali, his verbis legimus. *Narrauit nobis* (inquit Ioannes Moscus, cognomento Euiratus) *Abbas Theonas Theodorus, quòd Alexandriæ, sub Paulo Patriarcha, puella quædam relicta fuerat pupilla, à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi: dic mihi causam, & fortaßis iuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, &* Prato spirit. c. 107.

valde

valde suffocor à creditoribus, elegiq́ʒ potiùs vitam semel finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia, quæ habeo, & redde: tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille reddidit omnia. Puella ergo angustari cœpit non habens, qui sibi curam gereret. Itaqʒ destitua parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti: Quis nouit ista, nisi solus DEVS? quomodo scilicet permittatur anima, propter causam aliquam ipsi soli cognitam, ad tempus derelinqui? Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa compuncta est, orauitq́ʒ Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus, in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid re verâ istud cupis? Respondit illa: Vtiqʒ, Domine, & deprecor te, vt hoc mihi impetres. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos & ipsos Sanctos Angelos, duxeruntq́ʒ illam in Ecclesiam. Kursumq́ʒ se ipsos transformantes in personas quasdam

dam

dam illustres, & notas ex ordine Augustalium, vocant Clericos, Presbyterum, & Diaconum, qui in hoc ipsi constituti erant. Dicunt eis Clerici. Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem responderunt: Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt: & albis induta rursus ab eis subuecta est. Quam cum deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo, cùm illam albis indutam viderent, postquam recesserunt illi; dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam; locutiq; sunt Clericis; & baptizauerunt me. Et dixerunt ad eam: Qui sunt illi? cum verò non posset dicere, qui essent illi, abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his, qui ad baptizandum constituti erant: Vos illam baptizastis? Et confessi sunt; se illam baptizasse exoratos ab illo & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex Prætorio his, quos Clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fidem iussistis? Qui dixerunt: Neq; nouimus, neq; conscij nobis sumus, hoc fecisse. Tunc verò iam cognouit Episcopus, DEI hoc opus esse. Conuocansq; illam dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait: Meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihil-

ne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quòd, videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, datâ illi omni substantiâ meâ, liberaui illum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

§. IV.

Bonitas diuina, etiam in operibus, quibus de condigno nihil debetur, remunerandis.

Hoc baptismo vel meretrici, ante mortem, diuinitus procurato; non tantùm mirabilia & arcana Dei iudicia illustrantur; sed etiam erudiuntur illi, qui, quæ olim piè gesserunt, frustra, esse gesta existimant. Bonus est Deus, etiam illorum operum non obliuiscitur, quę mortali delicto extincta sunt. Illis enim etsi cœlum non debeatur: enimuerò etsi de cogdigno nihil omnino debeatur, tanquam Dei inimicis, nisi pœna; congruum tamen existimat Deus, vt aut bona *recipiant in vita sua*, cum Epulone illo, aut vt illis aliunde via ad cœlum aperiatur. *Et quis inennarrabilem bonitatem illius dignè admirari, quis pro ea dignè gratias agere queat?* ait Blosius. *Nam cum nemo ad salutem perueniat, qui non vel tantillum charitatis habeat; vt ex*

Luc. 16. 25.

Ludouic. Blosius in Canone vit. spirit. cap. 2.

vt ex amore Dei, saltem in extremo vitæ positus, pœnitentiam agat, auerseturq́ peccata: ecce ipse misericordissimus hominumq́ amantissimus Deus, sæpe se vsq; adeò benignum & amabilem etiam desperatissimis peccatoribus (quos alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit) sub mortem exhibet, vt illi ex intimis præcordijs doleant, quòd offenderint tam pium Conditorem atq; Redemptorem. Per quam nimirum pœnitentiam, apti reddantur ad salutem consequendam; & peracta tali peccatorum purgatione; qualem diuina iustitia quæsierit, in æternũ cœlestis regni gaudium introducuntur. Profectò in altissimo secretissimoq́ profundo latet fons ille inexhaustus, vnde tanta pietas ad nos dimanat, vnde tanta misericordia super nos effunditur: de qua qui desperat, Deum bonum & veracem esse negat, in Spiritũ sanctum blasphemus. Hæc ille.

§. V.

Nulli, ob opera à se præstita, præsumtuosè agendum, nulli desperandum esse.

At ne, qui vel eleemosynæ, vel alterius cuiusdam boni sibi operis conscius est, temerariè præsumat, sibique certò Numinis gratiam promittat, etiamsi in grauia scelera prolabatur; sciat multos, immo plurimos

mos in Inferno ardere, qui vel antè, quàm se flagitijs inuoluerent, vel in ipsâ scelesta vita, sanctissima quædam opera præstiterunt. Nouit Deus illa temporali aliqua felicitate compensare; ad quod ipsum etiam, vi iustitiæ non astringitur; quamuis id, præ bonitate suâ, faciat. Multa vtique laude & honore digna fecit Aman, quem tamen Assuerus justè suspendit, quia ille, quidquid, præmio dignum egit, crudelitate sua euertit. Hunc morem passim Principes obseruant; gladio addicunt rebelles, qui antè charissimi extiterunt. Ioab quantus fuit, apud Dauidem? non ille etiam per æstates hibernando, sed vel in summis frigoribus, aut asperrima tempestate, manus strenuè conferendo, bellauit; non, velut malus Fabij imitator, ociosè cunctando, sed pugnãdo assiduè, rem restituit. Quot non victorias retulit? quot non hostes interemit? quantas nõ fedauit rebelliones? & tamen, quando, *appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur, præcepit*, inter cætera, *Salomoni filio suo, dicens: Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit san-*

Esther. 7. 9.

3. Reg. 2. 1.

sanguinem belli in pace, & posuit cruorẽ prælij, in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. Cur non idem faciat Deus? Enimuerò sæpè etiam facit. Quamobrem Saul *regem sic compellauit* 1. Reg. 15. *Samuel: Nonne, cum paruulus esses in oculis* 17. *tuis, caput in tribubus Israel factus es? vnxitq́ te Dominus in regem super Israel?* Et rursum: *Pro eo, quòd abiecisti sermonem* Domini, *abiecit te Dominus, ne sis rex.* Nec tantùm solio, sed etiam vita (& vtinam non etiam vita æterna!) illum excidere passus est. Nemo ergo temerè peccet, etiam virtutis sibi conscius. Tantali hortus sunt virtutum opera vitijs, velut spinis, suffocata. Nemo etiam desperet, immò tantò promptiùs liberalitatem, clementiam, aliáq; pietatis opera exerceat, quia, sperare potest, si non præfidenter ac præsumptuosè, sed casu, aut imbecillitate quadam labatur, Deum ea ipsa opera aspecturum, apud quem *misericordes misericordiã consequuntur.* Quod Matth. 5. congruum esse dixi, conueniensque diuinæ bonitati, atq; ex recitata historia constat.

§. VI.

Genesij mimi mira conuersio & baptismus.

Martyrolog. Roman. Vsuardi 25. Augusti.

Et cur animum despondeant isti ? cum nihil penitus vnquam merentes non rarò respiciat Deus. Genesius, tempore Diocletiani, Romæ, mimus & thymelicæ artis magister, in publico theatro, de Christianorum mysterijs, Imperatori, per ludibrium, delitias facturus ægrotum se simulans baptismū poposcit. Euocato mimico presbytero, & exorcista, cum ludere vellet, repentè seriò egit. Quippe, diuini Spiritus impulsu, mutatus, inter ipsos sacrilegos iocos, Christianus factus, mimorum nugamentis, immo iam vi sua non carentibus simulatorum Sacramentorum arcanis absolutis, albis vestibus indutus; atque etiam ad sanctorum martyrum similitudinem, à militum petulantia raptus, de religione interrogandus Imperatori exhibitus, in editiore loco consistens sic cœpit perorare: *Audi, Imperator, audite Quirites, & omnes exercitus, populiq; huius ciuitatis. Eo apud me Christiani loco fuêre, vt in derisum despectumq; illorum, sacros ritus, coram vobis, explodere vellem. Ita eram animatus. Ast vbi primùm me*

me aqua nudum contigit, & interrogatus, credere me, respondi, mirabile sese oculis meis exhibuit spectaculum. Nam manum quandam vidi supra me cœlesti è regione. Et iuxta me Angeli steterunt clarissimè fulgurantes. Hi è libro quopiam, omnia, quæ ab infantia vsq; malè perpetraui, recitauerunt, atq; illico in aqua diluerunt; post quæ, me mihi ipsum ostenderunt niue candidiorem. Talis prodeo ex hoc balneo. Nunc igitur & tu, Imperator, & vos satrapæ, & quotquot me ludentem spectauistis, mecum resipiscite, & Christum verum Deum esse credite, per quem æternum salui esse possumus. Dixit, & Imperatorem, quem oblectatum venerat, in furorem dedit, à quo Plutiano traditus, dirissimè, pro Christo, est excruciatus. Nam equuleo tortus, fustibus cæsus, vngulis laceratus, facibus vstus, denique capite truncatus, nobilissimam martyrij lauream reportauit. Inter quæ tormenta omnia, nulla illi alia vox excidit, quàm ista: *Non est rex, præter Christum, pro quo, si millies occidar, ipsum mihi de corde auferre non poteritis.* Sic diuina bonitas etiā indignis atque immerentibus offert gratiam, qua repentè sanctissimi & fortissimi efficiantur. Neque sine iustissimo consilio. Quia, vt su-

Ludouic. Blosius in Canone vit. spir. cap. 2.

pra laudatus author ait: *Quanto plura, quantò grauiora sunt ipsa peccata, quæ donat, & quantò indigniores miserabilioresq; sumus nos, quib⁹ ignoscit; tantò gloria eius magis elucescit.* Mihi enimuerò etiam videtur voluisse vim baptismi ostendere, in quo etsi neq; intentio ministri, neque suscipientis, ab initio, fuit, tamen & illa diuinitus impleta, & hæc opetamen & illa diuinitus impleta, & hæc ope-
re ipso suscitata tantum effectum sortita est,
vt, sine mora, ex illusore fieret confessor;
ex mimo Diocletiani, Seruus Christi; ex sa-
crilego denique, cultor sacrorum & Mar-
tyr. Adde, voluisse etiam Redemtorem no-
strum hoc exemplo demonstrare, quod ver-
bo aliquando docuerat, nempe nos non de-
bere esse vindictæ appetentes. Nam ecce,

Matth. 5. 44.

qui dixerat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos:* etiam caussam reddidit: *vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis, est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos:* (hoc est, qui bonis & malis benè facit) *& pluit super iustos & iniustos*, seu qui cruces atque aduersa æquè iustis ac iniustis, licet diuersis de caussis, mittit. Nullus ergo clypeum debet abijcere, in hac vitæ istius ancipiti pugna; etiam si iniustus sit, pluuia tribu-

tribulationum illum poterit abluere, aut aqua baptismi, si nondum sit ea tinctus: etiam si malus, si cæcus in fide, solem diuini luminis super eum oriri faciet, cum minimè sperabit. In Genesio discat, animarum nostrarum Pastorem Christum IESVM sæpe ouem ex ore lupi eripuisse.

§. VII.

Philemonis triplex baptismus.

Quantus autem sit amor succurrendi in Deo, præsertim per baptismi sacramentum, quod de medij necessitate est, ita vt, sine eo, vel in re, vel in voto, suscepto, saluari nemo possit, ostendam alio luculentiore exemplo, vbi legimus, & fluminis, & flaminis, & sanguinis baptismum, in vno homine, confluxisse; quorum etsi baptismi singuli suffecissent, voluit tamen omnipotens Mundi Gubernator declarare, aliunde desertos à se non deseri; & quo pacto possit *super iustos* vtilissimè *pluere*. S. Philemon tactus cœlesti lumine, Christum vltrò profitebatur, & pro eo mori desiderabat. Stabat iam Martyr ad tribunal, & sedebat Præses tyrannus. Ille damnari optabat, iste cupiebat absoluere reum. Quare Philemoni obiecit, frustra illum esse, cum neque Christia-

Laurent. Sur. tom. 6. die 4. Decemb. in vita eius c. 32. ex Metaphrast. & Aloys.

nus quidem omnino factus sit, neq; baptismum accepisset. Hæc aliaque multa, cum effutijsset Præses, è multis paleis paulum fructus collegit. Immò quasi oleum flammæ subministratum esset, ita diuino amoris igne exardescens Philemon exclamauit. *O ignem spiritalem*, inquiebat, *qui accensus es, in meis præcordijs! ô quantum tibi debeo, ô Præses, quòd me etiam inuitus maximis affecisti beneficijs sacrum baptismum in memoriam reuocans.* His Præsidem cum allocutus esset in media turba consistens, *Rogo vos vehementer*, exclamauit, *Si quis inter vos praeest Christianis, & contemnit tormenta, propter pietatem, adsit citò, & me impertiat baptismate.* Dixit, stetit, expectauit; nemo vnus prodijt, qui periculum auderet cōtemnere tam præsens. Postquam igitur vidit, omnes timore victos silere, neque opis quidquam in homine vllo esse, calidè lachrymans, in hanc vocem erupit: *Deus meus, Christe, qui me benignè adspiciens à profundo errore reuocasti, ne sic me despicias diuinum baptismum minimè assecutum. Sed quouis modo ostende mihi sacerdotem & aquam, à quo, & in qua, similiter atq; alij Christiani, baptizer.* Vix ea dixerat, cum nubes, densa cœlum contraxit, & è sublimi se se de-

mit-

mittens stantem medium circumdedit, effusóque imbre, eum abluit, Christo ipso cetera ad baptismum necessaria faciente. Mox nubes, officio hoc peracto, se se postliminiò in altum recepit. Martyr autem, in oculis omnium, cælesti rore baptizatus, *Vobis* inquit, *omnibus videre licuit, qui Christiani quidem estis, nondum autẽ vultis manifestam esse vestram pietatem, quemadmodum, cum nullus vtiq; ad me ausus esset accedere, ipse veniens apertè Domin⁹ me maximo dono impertijt baptismatis. Videte ergo, vt turpi & illiberali timore liberemini. Quin etiam tu quoq; aspice, Præses, relictâ, quæ nihil habet vtile, insaniâ: cognosce, cuinam Deo teipsum, absq; ratione feceris inimicum, & quemadmodũ, eo Iudice, sis luiturus pœnas.* Ad hunc modũ triplici baptismo candidus ad cœlestem coronam Philemon est promotus. Defuit illi, in terris, aqua; missa est de cœlo: defuit homo, qui baptizaret; adfuit Deus, qui baptizauit. Magnũ hinc & solatium capere possunt pusillanimes; & documentũ negligentes. Pusillanimes quidem, qui sæpe nimis sunt anxij, verentes, se aut omnino, aut certè non rectè esse baptizatos. Ament Deum super omnia: detestentur super omnia peccatum:

dicant ex animo: *O ignem Spiritalem, qui accensus es in meis præcordijs!* & confidant, Deũ adfuturum, atq; eos, per hunc ipsum *baptismum Flaminis*, saluaturũ. Negligentes autem discant baptismum æstimare. Suffecisset Philemoni Deũ tantopere amanti *baptismus Flaminis*: suffecisset tanto martyri *baptismus sanguinis*; & tamen Christus *baptismum Fluminis* ei vnà impertijt, vt humanam socordiam corrigeret, quæ sæpe parum pensi habet, à qua obstetrice, filij, siue in Dei, siue in Diaboli nomine, baptizentur. Et tamen, *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.*

§. VIII.

Ad Confirmationis sacramentum chrisma diuinitus augetur.

Woltan. Wintou. in vita S. Ethelovvoldi c. 11. & Sur. tom. 4. die 1. August.

Hoc prouidentissimum diuinum iudicium, in alijs quoq; Sacramentis sæpe eluxit. Ex Woltano Wintouiensi monacho constat, clericum, cui à S. Ethelovvoldo Wintouiensi Episcopo sacri erat Chrismatis cura demandata, minùs aliquando olei, quàm res posceret, accepisse, atque illud ipsum, in itinere amisisse, mirabili Dei artificio, parum auferentis, vt multum redderet. Itaq; Episcopo pueros puellásque (neque enim in

virilem aut senilem ætatem tunc sacramentum istud differebant) confirmare volente, neque habente Clerico sacri olei ampullam, turbatio magna extitit. Anxius Clericus viam ijsdem vestigijs, recalcat, recurritq; eò, vnde venerat. Dum, oculis huc, illuc, curiosè missis, rem perditam indagat, reperit ampullam in via iacentem, insigni auctu locupletatam. Nam, quæ antè nec media sui parte plena fuerat, iam oleo sacro, vsque ad summum marginem referta, toti multitudini sufficiebat, ad petitum Confirmationis Sacramentum suscipiendum. Igitur, qui mulieri Sarephtanæ, per Eliam, dixit: *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, illè etiam, ad spiritualem vsum, oleo addidit incrementum. 3. Reg. 17. 14.

§. IX.

Confirmationis sacramentum non esse negligendum.

Is ergo inuocandus est, qui nouit elicere *mel de petra, oleúmq; de saxo durissimo*; siue id ad corporis sustentationem requiratur, siue ad animi salutem. Fatuis Virginibus similes sunt, qui non ad Deum, sed ad homines dicunt: *Date nobis de oleo vestro.* Quod sanè faciunt, quicunque non negligunt oleum, Deut. 32. 13. Matt. 25. 8.

quo cibos condiant, aut corporis leniant tubera & cruciatus; at de sacro oleo, quo animã in fide confirment, nihil omnino curant. Hinc tam sunt ad luctam, contra cacodæmonem aut Mundum, ineundam imbecilles. Hinc adeò parum, pro Religione laborant. Hinc castra & signa Ecclesiæ tam facilè deserũt, &, qui pro Catholicis stare debuerant, sunt primi hæreticorum defensores. In Nouato Exemplum recenset Eusebius & Nicephorus. Is, in morbo, baptismo tinctus, post morbum, supersedit Confirmatione signari. Quare, persecutionis tempore, metu victus, presbyterũ se negauit. Negatis, ô fatui, Christum; quouis periculo terremini; quia à Deo oleum, & Spiritus S. vnctionem non flagitatis. Apud vos ergo Christus & oleum & operam perdidit, frustra pro vobis passus, frustra Confirmationis Sacramẽto vim passionis & sanguinis sui largitus.

Euseb. lib. 6. Eccles. c. 35. Niceph. l. 6. c. 3.

CAPVT VII.

Prouidentiæ iudicijq́; diuini Bonitas, in Spirituali SS. Eucharistiæ alimento mirificè subministrato, declaratur. Vbi etiam docetur, quàm grata sit Deo, Spiritualis communio.

§. I.

§. I.

Epulum Euchariſticum deſiderabile.

EA eſt autem Numinis bonitas, vt quamuis multi à beneficij datore & manum & vultum auertant, tamen manum ipſe non ſubtrahat, ſed *vt exhilaret faciẽ in oleo* (Confirmationis) *& panis* (Euchariſtiæ) *cor hominis cõfirmet*, ac præter ſacrũ Chriſma, etiam panem cœli prodigioſum prodigiosè porrigat, alijs porrigere detrectantibus; aut abſentibus, vt porrigere non poſſint. *Quî poßim ab hoc epulo abeſſe*, aiunt, dixiſſe Dianam, cum reliqui Dii adhibiti eſſent ab Oeneo ad ſacrum conuiuiũ, ſolam præteritam, aut non admiſſam. Longè dignius eſt, vt, qui ad Euchariſticum Epulum non admittuntur, dicant: *Qui poßim ab hoc epulo abeſſe?* Et dicunt, qui Chriſtũ diligunt. Nec dicunt fruſtra, ſi deſunt mortales, vel immortales eorum deſiderio ſatisfaciunt.

Pſal. 103. 15.

Lucian. in Lapithis, & in libello de ſacrificijs

§. II.

Euchariſtia ab homine negata, à Deo conceſſa & data.

Erkenbaldus de Burban vir nobilis erat, & potens, inquit Cæſarius, *& tantus amator iuſtitiæ, vt nullam in iudicijs reſpiceret perſonam. Hic, cum grauiter infirmaretur, lectoq; decum-*

Cæſarius lib. 9. hiſtor. c. 38. Simile, ſi nõ idem

narrat Thom. Cantiprat. l. 2. c. 35. n. 6.

cumberet, in proximâ camerâ, tumultum, clamorésque fœmineos audiuit: qui cum de causâ sciscitaretur, nullus ei circumstantiarum veritatem dicere præsumpsit. Tunc mittens vnum ex pueris, ait: præcipio tibi, sub interminatione oculorum tuorum, vt dicas mihi meram veritatem. Cui ille pauens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestræ, fœminam vi opprimere voluit, & hæc fuit caussa clamoris. Ad quod verbum valdè commotus, dixit militibus: Ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, postquam egressi sunt, dixerunt ad inuicem; si occiderimus iuuenem hunc nobilem, & dominus noster, sicut opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt præsentia auunculi se subtraheret, commonentes. post horas aliquas ad dominum suum ingressi, se eius implesse mandatum affirmauerunt. Quinto verò die iuuenis æstimans, auunculum de culpâ esse placatum, vel immemorem, aperto ostio, introspexit: quem vt infirmus conspexit, verbis blandis, iuxta se, sedere præcepit, vno verò brachio collum eius stringens, & manu alterâ cultellum suum clam extrahens, gutturi eius infixit & occidit. Qui cum planctu & dolore multorum elatus, toti

pro-

prouincia incussit horrorem. Sed & Erkenbaldo additus est dolor dolori, adeò vt, inualescente infirmitate, pro Episcopo mitteret, petens sacrum sibi corpus deferri. Qui, cum venisset ille, cum multis lacrimis & contritione cordis; omnia peccata sua confessus est: tacitâ tamen interfectione. Super quo Episcopus iratus respondit; Quare subticetis parricidium, quod in cognatum vestrum commisistis? Dicente illo, fuitne hoc peccatum? subiecit Episcopus; Etiam crudele nimis. Et ille; Ego neq; peccatum iudico, neq; à Deo mihi remitti deposco. Respondente Episcopo; Ego vobis Christi corpus non tradam, nisi parricidium idem confiteamini. Subiunxit vir nobilis; Sciatis, Domine, me illum non occidisse, ex aliquo rancore; siue motu iræ; sed solummodo ex Dei timore, zeloq; iustitiæ. Nunquam aliquis filium sororis plus diligere potuit, quam ego illum dilexi. Si mihi corpus Domini mei negaueritis, ego illi corpus & animam meā committo. Hæc autem dixit; & egit propter exemplum; ne iustitiæ derogare videretur. Vix enim Pontifex limen domus egressus fuerat, & ecce ægrotus eum reuocauit; dicens; Reuertimini, Domine Episcope, reuertimini; videte, si in pyxide habeatis corpus Christi. Quod cum fecisset, nec in ea reperisset; subiunxit ille, Ecce;

ce, quem mihi negastis, ipse mihi se non negauit: apparuitq; hostia in ore eius, & impletum est in eo, quod per Sapientiam dictum est: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis, quærite illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Episcopus autem pauens tantum miraculum vbiq; diuulgauit, per quem etiam quibusdam Abbatibus ordinis nostri innotuit, qui anno præterito illud in capitulo generali recitauerunt, cunctis Dominum glorificantibus, qui facit mirabilia magna solus. Hæc Cæsarius. Multi, repentina morte, vel domi, vel in campis, sublati, hoc sacro viatico non destituerentur, nisi iustitiā ipsi priùs, destituerent. Iustos diuina iustitia non deserit.

Sap. 1.

§. III.

Missa mirabiliter SS. Eucharistia morituris.

Aliquando autem ipse venit, in Eucharistia, Christus, & mansionem facit apud eum, qui illum diligit; aliquando, per Diuos aliosúe dapiferos, vult sacrum hunc hominibus cibum apportari. De Ioanne Chrysostomo Nicephorus aliíque memorant, ei in exilium misso, longíq; itineris fatigatione labefactato ac morti proximo, noctu, oranti, Petrum & Ioannem Apostolos, qui vitæ ei-

Niceph. l. 13. hist. Eccles. c. 37. & Sur. 27. Ianuarij.

tæ eius duces fuerant, astitisse, &, perquàm amicè cum eo collocutos, primùm victoriam aduersus dæmones; tum migrationem ad Deum; postea, quæ eum exceptura esset bonorum perceptio, lætantissimè annunciauisse. His, cum ingenti lætitia, significatis, cœlesti & ineffabili corporis Christi esca eum pauerunt: ex quo tempore postea nihil cibi sumpsit. Dicta hæc ab eis sunt, quibus ille ea secum versantibus concredidit. Exulauit igitur à sua Ecclesia Chrysostomus, non exulauit à Deo. Non habuit sacerdotem in terris, de cuius manibus sumeret panem Angelorum, sed habuit Pontificem Petrum, habuit Ioannem Euangelistam. Quemadmodum & B. noster Stanislaus Koska habuit Angelos, S. Barbara patrocinante, ac sacrã synaxin ei impetrante, in cuius vita legerat, quòd, qui se illi deuotum commendaret, sine sacra Eucharistia, non esset ex hac vita migraturus. Hunc ad modum, vel in solitudine, Maria Aegyptiaca procul venientem eremitam habuit, à quo, corpus Christi Domini sumtura, postulauit, dici Symbolum Apostolicum, & Dominicam inchoari orationem, qua finita, cœli Dominum suscepit, & extensis ad astra mani-

Francisc. Succin. in vita eius.

manibus, cum multo fletu ingemiscens clamauit: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam, secundùm verbum tuum, in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quis desperet de cibo corporali, si Christus oues suas, sua carne, sic iudicat pascendas? Qui etiam Luciam virginem Syracusanam, gladio in guttur infixo, tam diu seruauit viuã donec à veniente sacerdote sacrâ communione reficeretur. Cui similem de milite historiam, immo mirabiliorem, refert fide dignus author Cæsarius: Nam tertio die suspensus, sub Friderico Imperatore, in patibulo vixit, ob SS. Trinitatem, & quina Christi vulnera quotidie culta, vt in fine, viatico cœlesti non careret. Igitur deposit⁹ è furca à sacerdote accepit, quòd petiuit, peccatorum scilicet absolutionem, & corporis Christi communionem: qua accepta, mox expirauit, ad eum profectus, sine quo comite, noluit ex hac vita migrare. O si quotidie mortis memores, quotidie diuinũ hoc viaticum à Deo peteremus! quàm paratus est ille ad se dandum? Soliciti sumus de præstante medico, qui, illo tempore, dolorem leniat; &, si morbum pellere non potest, mortem saltem differat; & animæ medi-

Sur. 9. April. ex Paulo Diacono. Martyrolog. Adon. Archiep. Treuir. 13. Dec. Cæsar. lib. 9. cap. 49.

medicum, archiatrum Christum, non inuocamus quotidie? At medici tum conclamatos plerumque deserunt; Christo non deserente, ni priùs illum ipsi deseramus. Magnũ quiddam & desiderijs nostris valde dignum debet esse Eucharistia, sine qua hominum Redemtor sibi amicissimos nõ vult è vita decedere.

§. IV.

Desiderio Eucharistiæ quantam vim inesse docuerit D. Franciscus?

Scribit D. Bonauentura, Ciuem Caietanum Bartholomæum nomine, dum in S. Fancisci templo construendo laboraret, ruina trabis percussum morti proximum, idem viaticum postulauisse; sed cum monachus, antè decessurum existimaret, quàm, tantâ loci distantiâ, afferri sacra Eucharistia posset, prolatis opportunè B. Augustini verbis, animam agenti dixit: *Crede, & manducasti.* Ille igitur, quem ore sumere Christum non potuit, corde flagrantissimo desiderauit. Vide mihi, mi Lector, quàm promta manu adsit Deus, cum deest auxilium humanum. Nam D. Franciscus, cum vndecim fratribus, se illi stitit, atque adpectoratum strictissimis brachijs gestans agniculum, ad lectum

S. Bonauent. in vita S. Francisci c. 3. de miraculis.

eius accessit; & proprio ægrū nomine compellans: *Hic est Agnus,* inquit, *quem tibi dari petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti: cuius etiam virtute consequêris vtriusq; hominis sospitatem.* Cum dicto, manum per vulnera ducebat, eúmque jubebat extemplo sanum ad cæptum opus redire. Patuit hinc, vnde desperatis speranda sit medicina; & quid agendum sit, confiteri, aut communicare non valentibus. Optent animo, amoréq; Dei (quem tam bonum Conditorem, Redemtorem, Patrem offenderunt) peccata confiteri; votóque cupiant secum iungi Christi corpus, quod reipsa nō possunt adipisci. Quæ *spiritualis est communio,* à Sanctis quotidie frequentata; & verò etiam maximis prodigijs vsurpata, non solùm, cum mors instaret, sed tota etiam reliqua vita. Cuius rei docendæ magísque, inter homines, promouendæ caussa, non pigebit, complura eiuscemodi exempla, salutaribus documentibus interspersis, commemorare. Ars est saluberrima; sanctissima praxis.

§. V.

Desiderium S. communionis, communionem mereri ostendit S. Laurentius Iustinianus.

Thom. Bozius lib. 15. de

De

De Laurentio Iustiniano Venetiarũ Patriarcha, qui vixit Eugenio IV. sedente, hæc leguntur. *Sacra virgo quædam erat magnæ sanctitatis; hæc, per multos annos, abstinentiâ, vigilijs, orationibus steterat ante Dominũ: Accidit autem, vt solennitate corporis Christi, neque sorores aliæ, neque ipsa communicare diuinis mysterijs possent, & cum ægrè ferrent, & illa imprimis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope esset monasterium, vt, si gratiam communicandi, eo die, habere non possent, ipse saltem dignaretur, dum celebraret, pro ancillis suis orare: promittit Laurentius, dum autem celebraret ad populum, post eleuationem, factus est extra seipsum, detulitq; eum spiritus ad illam mulierem in cellâ clausam, & contemplationi vacantem; quæ fortè tunc miro desiderio communicandi teneretur, & sacra illa mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit; ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad se ipsum reuersus ab illo pietatis officio reliquum missæ peregit.* Hæc sunt verba scriptoris, ex eadem gente Iustiniana prognati, ac patritij Veneti, huius desiderij sancti vsum & fructum ostendentia. Nimirum quia amans suarum ouium Pastor Christus, etiam cor-

Signis Eccles. c. 4. ex Bernardin. Iustin. in vita eius. c. 8. apud Sur. 8. Ian.

pore simul vult pluribus, quantumuis distantibus, adesse, fecit etiam ipsum plurib⁹ simul esse in locis Patriarcham: atque, vt desideria tantæ pietatis propagaret, vel ipsa miracula multiplicauit. Desiderat nimirũ & Christus esse cum ijs, à quibus se videt desiderari. Eo autem præsente, quid deesse potest; cum in illo sint omnia? Antigonus

Plutarch. in Antid. II. *pugnaturus contra Ptolomæi duces, cum dixisset gubernator, multò plures hostium esse naues; Me ipsum præsentem (inquit) contra quot naues opponis?* Contra quot hostes nos Christum non opponemus, si quidem illum

Thom. de Kemp. lib 4. cap. 3. præsentem habeamus? Habemus autem, si habere volumus; si dicimus: *Desidero te nunc deuotè ac reuerenter suscipere: cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.*

§. VI.

Desiderio SS. Eucharistiam attraxit Monachus.

Cæsar. lib 9. c. 37. Magnes ferrum, ardens voluntas Deum attrahit. Cuius etiam exemplum Bernardus de Lippa, priùs Liuoniæ Abbas, postea Episcopus, retulit, de quodam recens fidem

ac,

ac, paulo post, etiam ordinem religiosum professo, ex eorum numero, quos *Conuersos* appellant. Ille, cum ceteris Monachis Eucharistiã porrigi vidisset, sibique idem non licere, vehementer doluisset, *stans contra altare communicandi desiderio suspirauit. Et ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari, per Sacramentum, descendere dignatus est, in os eius; qui mox hostiam aperto ore ostendens, & caussam tantæ gratiæ manifestans, cunctos, qui aderant, in stuporem conuertit: eandem enim hostiã defuisse repererunt in altari.* Adeò placet Deo desiderium piorum. Desiderat desiderantes; &, qui illum accedere non possunt, eos ipse accedit: quia *voluntatem timentium se facit.*

§. VII.

S. Catharina Senensis desiderio Eucharistiæ Eucharistiâ potitur.

Quod etiam, in Senensi Catharina, conspicuum fuit. Laborabat illa iliaco aliquando malo: sed quia doloris remissionem sperabat, Raymundum, qui à confessionibus illi erat, rogauir, vt sacrificium tantisper differret, donec ipsa interesse, & sacrâ Synaxi refici posset. Continuato diutiùs dolore, iubet eum, etiam se absente, sacrifi- **D. Antonin. 3. p. Chron. tit. 23. c. 14. §. 8.**

care, ne mora nimis longa esset. Eo agente, remittit dolor, & mox illa, inscio mysta, adrepit, atque in remoto angulo considet. Dum frangeret hostiam sacerdos, particula hostię ex oculis illius subducta est, vtraq; parte maiore, in manibus eius remanente. Vndiq; diligenter circumspicit, nusquam particulam, reperit. Peracto sacro, Catharina eum interrogat, cur tristitiam vultu præ se ferat? Hostiæ particulam abs se amissam, ait ille. Et illa: *Quæsiuisti*, inquit, *diligenter? Quæsiui*, respondet ille. Tum illa subridens ait: *Non erat necesse, te propterea tristari. Equidem arbitror*, inquit ille, *te mihi illam abstulisse.* Et illa: *Non mihi* inquit, *vitio vertas, quia non ego sed alius abstulit. Hoc tamen scias, velim, quòd nunquam inuenies.* Tum fassa est, sibi diuinitus delatam fuisse; *Dum enim sociæ meæ*, inqt, *nollent, vt cōmunicarem, ne ipsis molestiam adferrem, acquieui. Recurri interim ad benignissimum sponsum meum IESVM Christum, qui sublatam particulam, ad me detulit; ideoq; noli contristari, sed potiùs, gaude, in ipso, cum gratiarum actione.* Planum est igitur, tam preciosa esse piorum hominum desideria; vt Deus ipse iudicet ea diuinitus implenda, si impleri

non

non poſſint aliunde. Quanquam non opus eſt, vt ea miraculis ſemper impleat: implet ſatis, ſi diuinâ gratia implet. Quod etiam facit per *ſpiritualem communionem*.

§. VIII.

Realis & ſpiritualis communionis differentia.

Nam hîc mihi ſilendum non eſt, quod Theologi, cum D. Thoma Aquinate, omnes docent, atque ex hac ipſa Dei bonitate conſequens eſt; eos, quibus, quacunq; demum ex cauſſa, non conceditur, SS. Euchariſtiam *Sacramentaliter* ſumere, quàm frequentiſſimè illam ſaltem *ſpiritualiter* ſumere aut poſſe, aut oportere. Gratiſſimum enim eſt Chriſto, corde ei nos iungi, ſi ore ſimul iungi non poſſimus. Nobis autem hæc coniunctio prorſus neceſſaria eſt. Neque ea res fructu caret. Quia effectũ Sacramenti magnum percipere poteſt, qui Sacramentũ habet in voto, tametſi illud in re non accipiat. Quemadmodum enim multi *baptiſmo flaminis* baptizantur antè, quàm baptiſmo aquæ baptizentur, propter inflammatum baptiſmi deſiderium; ita etiam plurimi SS. Euchariſtiam *ſpiritualiter* manducant, eam impensè deſiderando, licet *Sacramentaliter* non

S. Thom. 3. p. q. 80. art. 1. 2.

manducent; aut antè, quàm manducent: qua manducatione spirituali itidem percipitur effectus huius sacramenti. Etenim homines, in ea, Christo, per fidem, & charitatem, spiritualiter coniunguntur. Credunt enim & amant, quod desiderant. Fides autem Christo intellectum, amor vnit voluntatem. Neque tamen idcirco *sacramentalis* & *realis* manducatio superuacanea censenda est: siquidem, vt D. Thomas ait, *plenius inducit sacramenti effectum, ipsa sacramenti susceptio, quàm solùm desiderium.* Qui enim simul *spiritualiter* & *realiter*, seu *sacramentaliter* Eucharistiam sumunt, *maiorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur*: quia præcepto realis sumptionis, aut institutioni Christi parent: & ordinariè magis ad se Deo cõiungendos excitantur; ac ex *opere operato* fructum consequuntur: cum *spiritualis communio* sit tantùm op⁹ operantis, nec impleat præceptum realis sumtionis, quando ea haberi potest. Quare neque communio *realis* est negligenda, neq; *spiritualis* non frequentissimè vsurpanda; vt & illius fructu maiore potiamur, & adipiscamur hunc, quoties in die volumus, obuium ac opportunũ. Quem etsi Sanctissimi quique maximè appetant,

Idem. q. 69. art. 4. ad 2.

tamen

tamen etiam ſectari poſſunt peccatores. Iſti enim, dum à Sacramentali cõmunione abſtinent, memores illius: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit,* 1. Cor. 11. 29. (quia rem tam ſanctã irreuerenter tractat;) poſſunt tamen licitè ſacramentum hoc *ſpiritualiter* ſumere, hoc eſt, deſiderare; atque ita, Chriſto ſpiritualiter coniungi, per fidẽ, & actualem charitatem, ſeu contritionem de peccato; ob quod ſe hoc Angelorum pane indignos iudicant, quodque abolitum volunt, vt digni fiant. Qua proinde ſpirituali communione, non peccant; quia eam falſitatem non committunt, quam committunt, qui illud *realiter* ſumunt peccato mortali aſtricti. Significant enim iſti, ſe Chriſto vnitos, & membris eius incorporatos, quòd tantum fit, per fidem formatam, quæ in peccatoribus non eſt, in quibus non eſt habitus charitatis: non ſignificant autẽ hoc, qui tantùm *ſpiritualiter* communicant, ſed ſignificant, ſe optare eſſe coniunctos; ſiue reipſa coniuncti ſint, ſiue non, ſed tantùm coniungi deſiderent, deſiderióq; ſe iungant, & implicita contritione (ſi non expreſſa) profiteantur, ſeiungi ſe ab illo, peccando meruiſſe. Sicut ergo infidelis Baptiſmum,

 ſicut

sicut adulter Sacramentum Pœnitentiæ, ita & quiuis peccator, per fidei & actualis charitatis exercitium, potest Sacramentum Eucharistiæ desiderare. Quo desiderio in sui despectum, & in peccati detestationem venit, videns se, suâ culpâ, sacramentali Eucharistiæ sumtione & tam sacro conuiuio, sine veste nuptiali charitatis habitualis, indignum esse; cuius proinde desiderio, vult peccata deponere, vt dignus fiat, qui ad mensam regiam accedat. Vt enim olere domestico abstinent, ad nuptiales epulas inuitati; sic, qui desiderio tenentur cœlestis ambrosiæ, libenter contemnunt cramben peccatorum toties repetitam. Vtilissima itaque est etiã peccatoribus sumtio spiritualis Eucharistiæ, impetrátque à Deo, tandem sumtionem quoque sacramentalem. Alexader Macedo, dijs sacrificans, ac citra parsimoniam thura in ignem sæpius inijciens (licet Leonida pædagogo reclamante, & dicente, vt tam sumptuosè sacrificaret, cum thuriferam subiugasset regionem) etiam aromatiferam regionem adeptus est: ita qui erga Deum non sunt auari, sed quàm largissimè *spiritualiter* communicant, id assequuntur, vt eis Deus, vel per homines, vel per modos,

Plutarch. in apophtheg. Alex. Mag.

extra

extra communem ordinem, atq; etiam miraculosos, cõmunionem *sacramentalem* impertiatur. *In vijs iustitiæ ambulo*, inquit, *in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quàm quidam calidè optant, thesauros suos repleri? cur hîc inopiam amant? Quàm multi dies noctésque, inter pocula, & in vino versantur, nec aliud cogitant, quàm comessationes? cur calicem Domini non sitiunt, cur non esuriunt frumentum electorum? Quis cibus DEO dulcior, quis suauior potus, quàm sanguis Christi? Dicebat olim Booz ad Ruth, vt cum messoribus intingeret buccellam in aceto, & vt liberrimè spicas colligeret: ob quam liberalitatem illa mox eũ, super terram adorauit. Christus iubet nos, in sanguine suo, non buccellam, sed animam nostram lauare, & in aceto memorialis Passionis suæ intingere; & non cadimus in terram? non venimus? non adoramus? immò nec esurimus, nec sitimus. Alioquin vtiq; qui vult nos cibum dare esurientibus, ac sitientibus potum; ipse etiam in cibum nobis se daret, & in potum. In quã rem plura libet exempla apponere.

Prou. 8. 20.

Ruth. 2. 10.

§. IX.

§. IX.

Onuphrio, singulis Dominicis diebus, Angelus SS. Eucharistiam ministrat.

Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 106. Mar. Marul. lib. 4. cap. 12. Ioan. Garetius cent. 4. circa An. 282.

Per annos adeò sexaginta Onuphrius Confessor, & Dei assiduus cultor, in vastissima profundissimáq; AEgypti eremo, hominibus incognitus vixerat. Ex his, triginta annis, in cibum vsus fuerat solis palmæ fructibus, & herbarum radiculis. Reliquis triginta annis, solo *pane vitæ* vitam sustentauit. At quia deerat sacerdos, qui eum diuinum panem ei porrigeret, adfuit, singulis Dominicis diebus, Angelus, vice sacerdotis functus. Tum verè dici potuit: *Panem Angelorum manducauit homo.* Et quia *cor nostrum esca ista confirmat*, vt ait S. Ambrosius, mirificè fuit Onuphrius hac esca confirmatus. Nam grauissimas cacodæmonum insidias, heroica mente, superauit. Quod robur, vt & alij accipiant, ipse Christus inuitat, & sui sumendi desiderium incendit. *Venisti ad altare*, ait idem S Pater, *vocat te Dominus IESVS, vel animam, tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui.* Osculatur enim Christum, qui eum ore reuerente & amante excipit. *Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil*

Psal. 77. 25.
S. Ambr. in Tract. de myste. c. 9.
S. Ambr. serm. 5. de sacrã. ad Neophytos. c. 2.

nihil iucundius, osculetur me. Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt: ideò te sacramentis cœlestibus dignum iudicat, & ideò inuitat ad cœleste conuiuium. Osculetur me osculis oris sui. Ideò si non est, qui tibi panem frangat, ipse frangit, ipse se porrigit. Audi istius amoris signum aliud, & penè domesticum, quod Raderus, in Bauaria Sancta, de Friderico Ratisponensi, homine illiterato, his verbis refert. *Occupatum olim, in lignili, vehemens Eucharistiæ desiderium incesserat: cum interim sacerdos sacris operatus, animaduertit, sibi de altari sacram hostiam, aut, vt reor, partem hostiæ subductam, quam anxiè circumspiciens, diúq; requirens, tandem intellexit, à cœlite Friderico impertitã.* Sic fit, quod dictum est: *Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te.* Si plures quærerent, plures inuenirent. Quod in alio exemplo disce.

Matth. Rad. part. 1. Bauar. Sanct. pag. 157.

Psal. 69. 5.

§. X.

Bertrandæ desideriũ communicandi diuinitus impletum.

Surius t. 5. die 27. Septẽbr. in vita S. Elzearij c. 17.

In S. Elzearij vita legimus, Bertrandam Carmaram Carpentoratensem, innocentis vitæ mulierem, & diuinarum rerum admodum peritam, solenni quodam festo, die,

ad

ad Dominici corporis perceptionem accuratè se præparasse; sacerdotem autem vel incuria, vel obliuione, vel potiùs prouida Dei voluntate, particulam, pro illa, nullam consecrasse. Itaq; spe sua destitutam, Deus consolandã censuit. Cum enim Bertranda Missę sacrificio interesset, &, consueta pietate, Christi corpus, quod ore contingere non poterat, desiderantissima mente *spiritualiter* sumeret, Angelus extemplo comparuit, & bonam consecratæ hostiæ partem, ab altari, ad eam detulit; quam cum sacerdos non minore solicitudine, quàm diligentia perquireret, coacta est Bertranda diuinum solicito beneficium aperire, vt doceret; nunquam frustra desiderari, præ cunctis desiderabilem. Adeò bonus est, si deest operis facultas, desideria remuneratur. Desiderijs autem ardet, *quisquis vidit mirabilia sacramenta, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui: hoc est, osculum mihi Christus infigat. Quare meliora vbera tua super vinum. Super illud vinum; quod etsi suauitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet: tamen illa lætitia secularis, in te autem iucunditas est spiritualis.* Hæc S. Pater, supra laudatus. Quare mirum est, homines non incendi amore, & saltem affectu acce-

S. Ambr. loc. cit.

accedere ad hoc ſacramentũ. Quoties etiam impius quiſpiam ſacerdos Chriſtum è cœlo in aram vocat, obedit ille voci hominis, &, ne deſit panis cœli, adeſt ſub ſpeciebus panis. At Chriſtus nunquam exponitur in hoſtia, quin ad credentem dicat: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, & tamen ſunt, qui oſculum detrectent, ac ad regiam hanc menſam inuitati venire recuſent? Impediunt negotia? non eſt omnium quotidie veſtem induere nuptialem? Eſto. at ſaltem deſiderent accumbere, qui putant, ſe non poſſe accumbere; faciántque, quod famelici ſolent, qui cùm cibum non habent, quo veſcantur, delectant ſe ſaltem cibi recordatione, éſtque illis, pro eſcæ vſu, eſcæ appetitus.

§. XI.

Angelorum manibus quinã SS. Euchariſtiam acceperint?

Complures hoc deſiderio etiam impetrãrunt hunc cibũ accipere manibus miniſtrãtium Angelorũ: è quorũ numero fuit Marcus Monachus; cui tamen cum Angelus Euchariſtiam porrigeret, ait Macarius, apud Sozomenum, *ſe manum ad iuncturam vſque tantùm vidiſſe*. Item Maiorus Epiſcopus, qui de

Sozom. lib. 6. c. 29. Pallad. in hiſt. Lauſiaca. c. 20.

de Angeli manu sacramentum hoc ter accepit, in eremo, ab alijs desertus, sed non desertus à Deo. Sed mirabile fuit, quod S. Bonauenturę Episcopo Albanensi & Cardinali, nondum sacerdoti, accidit: Is, quia pluſculis diebus, ob summam animi demissionem, à sacratissimi corporis Christi perceptione abstinuit, veritus, ne, si illud indignus sumeret, iudicium sibi manducaret & biberet; in prœmium tantæ humilitatis, Missæ audiendæ præsens, & panis cœlestis mirè appetens, particulam sacræ hostiæ, de manibus celebrantis acceptam, per Angelum, ori suo impositam accepit. Quam submissionem vtinam multi imitarentur, qui cùm symposia, vltra dimidium noctis, protraxerunt, cum scortati sunt, cum crapulam nondum edormierunt, vt sacrilegio sacrilegium addant, non verentur, sine scelerum confessione, sine contritione animi, sine peccati expiatione, non jeiuni ad tremendum hoc mysterium, & ad Missam celebrandam accedere, digni vtique, quibus non iam Angeli hostiam afferant, sed auferant: vt sæpe legimus contigisse. Sed, si eo miraculo moueri non sunt digni, erit tempus, quando, sicut Magdeburgensi Vdoni,

Petr. de Natal. lib. 9. c. 103. In vita S. Bonau. c. 12. & apud Sur. tom. 3. die 13. Iulij. item in Chrō. Francisc. 2. p. l. 2. c. 2.

Vide de subductis hostijs Sozom. l.

doni, hostias Angeli è visceribus reuulsas, atq; flammato gladio, è ceruicibus excussas repetent; rémque omnium sanctissimam, in salutem institutã; seuerissimo Iudici Deo, in vindictam damnationémque eorum, annumerabunt.

8. hist. c. 5. Baron. t. 3. Annal. An. An. 400. Petr. Cluniac. lib. 1. cap. 2. Gregor. Turon. lib. 1. de de glor. Mart. c. 86. Petr. de Natal. l. 2. Cat. Sanct. 86. M. Mar. Spalat. l. 4. c. 12. ex Breuiat. Ambian.

§. XII.

Christi manu, humilibus & aliunde destitutis, SS. Eucharistia ministrata.

Interim Deus amicis filiolisq; diligenter prouidet; ne fame pereant; neque per Angelos tantùm diuinas has illis sportulas mittit; sed suismet etiam manibus se se illis in ôs, in pectus, in animam immittit. Celebrauerat aliquando Missã Honoratus, post Firminum Episcopum Ambianensem, quartus. Ventum erat ad hostiam sumendam; ibi, attentissima cogitatione, institit tanti sacramenti dignitatem perpendere. Ea meditationis vis fuit, vt, præ reuerentia, hostiam manibus attingere vereretur. Placuit conuiuiæ modestia Christo, censuitque miraculo honorandam, miraculóque stupendo. Nam ipse, ex depicta inibi imagine sua, brachium extendit hostiámque, velut viua manu, sublatam de altari Honorato porrexit. Itaque, iam ille sumere non recusa-

uit, quod diuinitus dabatur; tantò dignior eo pane, quantò se iudicauit indigniorem. Vnde rectè dixit S. ille Pater: *Deuoto animo, & cum timore accedendum ad communionem, vt sciat mens, reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei. Quem nos, si cum disciplina accipiamus: non erimus indigni corpore & sanguine Christi: gratias enim videbimur reddere redemptori.* Hanc humilitatem, vt in se struant, vel laici communicaturi, vel sacrificaturi sacerdotes, habent præclaram illam D. Augustini orationem, quæ incipit, *Summe sacerdos* &c. in qua etiam petenda sic loquitur: *Vt sacrificium laudis casto corpore, & mundo corde valeam offerre. Quanta enim cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & timore, quanta corporis castitate & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum? Domine Deus meus, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi ima summis coniunguntur, vbi adest Sanctorum præsentia Angelorũ, vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabilter & ineffabiliter? Quis dignè hoc celebrare potest myste-*

S. Ambr. in 1. Cor. 11.

mysterium, nisi omnipotens Deus offerentem fecerit dignum? Talis oratio humilem facit, talis meditatio dignum; talibus se porrigit Seruator, quia *cum simplicibus sermocinatio eius.* Qui etiam S. Dionysio, cum Rustico & Eleutherio socijs; in carcere, detento, & mox ad martyrium ituro, cunctis, qui doctrinæ eius audiendæ gratia aderant, spectantibus, ingenti luce, & Angelorum multitudine circumdatus, sanctum panem porrigens, dixit: *Accipe hoc, mi chare, quod mox complebo tibi, vnà cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, & his, qui audierint te, salus in regno meo.* Hæc, dum Missam, iam tum Apostolorum tempore, in custodia, faceret D. Dionysius, euênere. *Tu enim*, ô Deus, *fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.*

Prou. 3. 32. Su. 9. Octob. in vita eius. c. 29. & Io. Garetius. cent. 9. ex Hilduino Abbate 840.

Iudith. 9. 5.

§. XIII.

S. Spiritus, & S. Thomas Apostolus SS. Eucharistiam prabentes: itemq; dignè & indignè cõmunicantium discrimen.

Verùm neque Spiritus Sanctus deest, Eucharistiam desiderantibus. Siquidem, vt, in vita SS. Martyrum Faustini ac Iouitæ, habetur, cum prædicti martyres Secundum militem, Mediolani, baptizassent, & sacrâ

etiam communione, ex eo, membrum Ecclesiæ facere voluissent, sed panis deesset, ex quo sacramentum conficerent, à columba alite rostro delatum accepêre, eique sumendum præbuêre, sacrum esse minimè dubitantes, qui sic afferebatur. Et facilè fuit credere, Spiritum S. fuisse, quem etiam Ioannes Baptista *descendentem, quasi columbam, de cœlo* vidisse se testatus est. Certè, cum trium diuinarum personarum simplex, vnicáque substantia separari nõ possit; apud eundem, Pater, & Spiritus Sanctus mansionem facit, apud quem Dei Filius diuertere non dedignatur. Quare huius diuini Spiritus est, homines ad crebrò communicandum & incitare, & iuuare, vt dignè communicent. Nam indignis, meritò cœlum claudit, ne manna hoc inde descendat. Cur enim non faceret? cum Apostoli id scribantur fecisse. Nam, coronidis loco, adijciam, quod à multis probatis scriptoribus refertur, Anno scilicet Christi 1121. Ioannem Indorum Patriarcham venisse, & Callisto Pontifici, Cardinalibus, Prælatisque alijs, in consistorio publicè, summa cum fide, narrauisse, suo quidem tempore, S. Thomam Apostolum, quotannis, populum, sua manu-

Ioan. 1. 32.

Helinãd. in Chrõ. Io. Naucler. vol. 2. gen. 38. Stapleton. in Collect. de S. Thoma &

nu-

nu, communicauisse, &, qui dignis sacramentum porrexerat, ab indignis id retraxisse. Quod iudicium discrimenque etiam vidit olim Ammona presbyter sacris operans. Angelus enim ad dexterum altaris cornu astans, dignè communicantium nomina in librum referebat; eorum autem, qui synaxi se subduxerant, nomina conspexit deleri, qui triduo inde mortui sunt. Si oculos Ammonæ haberemus, quàm multos indignè ad altare accedentes conspiceremus, de libro vitæ deleri? Admiranda Dei patientia est, qui ordinariè non vult à sacerdote cõmunicante cognosci discrimen dignè, indigneúe communicantium, neque retrahi manum, etiamsi Iudas aliquis, hoc, est, auarus, proditor, aut sacrilegus, impuro ore, SS. Eucharistiæ sacramento inhiet. Impunè id se isti facere putant, quia non statim puniuntur. Sed, ô Deus, *omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia, in tua prouidentia posuisti.*

Petr. Ribadeneira de viris SS. 12. Decemb. Pallad. in SS. PP. c. 72.

Iudith 9. 5.

§. XIV.

Quàm grauiter peccent indignè communicantes?

Hoc est iudicium Dei. Dignis etiam spiritualem *dat escam, in tempore opportuno,* in-

dignos vel in hac plectit vita, vel in altera. Itaque *qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.* *Quoniam futurum est iudicium,* ait Mediolanensis Antistes, *vt quemadmodũ accedit vnusquisq;, caussas reddat, in die Domini nostri IESV Christi: quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare sortis & mortis Domini? occisus est enim pro ijs, qui beneficium in irritũ ducunt. Propterea inter vos multi infirmi & ægri, & dormiunt multi. Vt verum probaret, quia examen futurum est accipientium Domini corpus, iam hîc imaginem iudicij ostendit, qui inconsideratè acceperant, dũ febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, vt in his ceteri discerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere, & eum, quem hîc pœna distulerit, grauiùs tractatum iri, quia contempsit exemplum.*

1. Cor. 11. 29.

S. Ambr. in 1. Cor. 11.

§. XV.

Magnam in Deum spem incendit, cura Dei erga derelictos.

Possent eiuscemodi diuinorum judiciorum documenta, etiam in ceteris Christi sacra-

cramentis data adferri, sed ea passim alibi inserendi erit locus; & hæc ipsa sufficiunt, ad nos commonefaciendos, vt in Deo magis, quàm in hominibus confidamus, &, in omnibus periculis, dicamus: *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis*; Psal. 107. 13. itemque: *Tibi derelictus est pauper, & orphano tu eris adiutor:* quia *oculi tui in pauperem respiciunt*, &, *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum exurges*, quando *diuites dimittes inanes.* Sicut enim auis implumes & seipsos alere non valentes pullos, maiore cura, alit, & minùs sollicita est de ijs, qui iam euolare atque in pastum ire didicerunt; ita Deus maximè indigentes maximè juuat. Hæc est gloria eius, hæc potentiæ & bonitatis magnitudo; posse rebus desperatissimis succurrere, &, vno verbo, posse, quod alius nemo possit: sicut & medici præstantia inclarescit, quando morbos pellit ab alijs desperatos. Demosthenes, cum illi obijceretur, quòd cum malis consuetudinē haberet, *Ille*, inquit, *est optimus, qui derelictos ab omnibus curandos suscipit.* Ita, tametsi oculus Domini omnibus inuigilat, omnibúsque prospicit, præcipuè tamen illos curat, quos alius nemo curat; & hoc ipsum plus

est, quàm si quis ab omnibus curaretur. Vt enim oratori olim peroranti, cæteris auditoribus sensim dilapsis, &, solo Platone, post omnes remanente, *Plato instar omnium fuit*, sic instar omnium, & præ omnibus, debet nobis esse Deus, qui solus sufficit, & infinitis modis omnium creaturarum auxilia excedit. Quemadmodum vnius præsentia atque lux Solis clariùs lucet, quàm lumina omniũ stellarum reliquarum. Quare quisquis se ab omnibus mortalibus deseri videt, si ab eo noti amicique omnes recesserunt, si in se ipso nullum consilium, in alio nullum auxilium reperit, credat superesse Deum, & hunc sufficere existimet, clamétque cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.*

§. XVI.

Etiam in temporalium rerum cura Deo nitendum esse.

Quia verò sollicitudo stultorum mortalium minimè curat spiritualia, maximeque circa victum vestitúmque versatur, necessarium duco, vt afferam plura diuinæ curæ exempla, quæ monstrent, Deum non deesse ijs, quibus omnia, etiam in rebus temporalibus, deesse videntur; è quibus apparebit, quàm longè præstabilius sit, etiam propter

corporis necessaria, spem in Deo, quàm in agris & fundis collocare: nulla enim grando, nulla vredo, nulla tempestatum injuria potest obesse, spem suam diuinitatis anchorâ fulcienti. Quod confirmauit Dominus, cum Apostolis dixit: *Quando misi vos sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22. 35. nempe hoc est, quod olim dixit: *Oculi mei ad fideles terræ,* Psal. 110. 6. qui etsi baculo aut gladio carent, tamen ab Angelo meo defenduntur; si peram non ferunt secum; è nubibus panem illis mitto, & mensam instruo, ambrosiâ cœlesti conditam.

CAPVT. VIII.

Cur amicos suos parcè ac frugaliter, inimicos autem lautè permittat viuere Deus?

§. I.

Diuersa Dei & hominum, homines in conuiuijs tractandi, ratio.

IN principum aulis primæ admissionis amici ac satrapæ, ceteris conquisitiùs solent tractari; &, quo quisque est nobilior, eò lautiori mensæ adhibetur; est enim cibi pretium honor conuiuantis. Quamobrem &

Ioseph, cum epulum fratribus suis daret, *sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant: MAIORq́; pars venit Beniamin, ita vt quinq; partibus excederet.* Tractaret vtique hac ratione etiam Deus sibi amiciores, si diuinæ sapientiæ judicio melius esset, meliùs conuiuari. Aliter censet. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neq; viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ, à vijs vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris.* Vobis placet ebrietas, mihi displicet. Sobrietas placet mihi, displicet vobis. Apud vos, in honore est conuiuiũ, apud me jeiunium. Vobis grata est abundantia, mihi abstinentia; quam etiam seculi sapientes diuitijs præposuerunt. Certè Diogenes à Platone petierat vini paululum, tũc & caricas. Plato misit lagenam. Cui Cynicus, hunc in modum, gratias egit: *Cùm interrogârim, quot sint duo, & duo? respondes viginti.* Noluit nimirùm, pro quatuor, aut accipere, aut dari viginti. Quare & amicis suis plerumq; dat Deus, quod sufficiat, non quod superfluat: ipsi abundare non cupien-

Gen. 43. 33.

Esa. 55. 8.

tes illud vſurpant: *Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria; ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, periurem nomen Dei mei.* Porrò victui non multa ſunt neceſſaria. Pauca ſufficiunt paucis contento. Itaque, quos non deſerit diuinum Numen, modico alit, ſi videt non appetere multa, etiam tunc, cum miraculosè alit. Prou. 30. 8.

§. II.

S. Cuthberto ac ſocijs alendis Deus, per aquilam, piſcem mittit.

Venerabilis Beda, qui Martyrum Eccleſiæ Angelicanæ pro Chriſto cæſorum hiſtoriam texuit, S. Cuthberti Epiſcopi Lanparnienſis facta & verba hæc refert: *Diſce, filiole, Dei fidem ſemper & ſpem habere in Domino, quia nunquam fame perit, qui Deo fideliter ſeruit. Et ſurſum aſpectans, videnſq; aquilam in altum volantem: Cernis, inquit, aquilam illam porrò volitantem? Etiam per huius miniſteriũ, poſſibile eſt Domino Deo noſtro, nos hodie reficere. Talia confabulantes, agebant iter, iuxta fluuium quendam. Et ecce ſubitò vident aquilam in ripâ reſidentem, dixitq; vir Dei: Viden' vbi noſtra, quam prædixi, miniſtra reſidet? Cur-* Beda in vita S. Cuthberti.

re, rogo, & quid epularum nobis attulerit, inspice, & citiùs affer. Qui accurrens attulit piscem non modicum, quem nuper illa de fluuio prehenderat. At vir Dei, quid, inquit, fecisti, fili? quare ministræ suam partem non dedisti? seca citiùs medium. & illi partem, quam nobis ministrando meretur, remitte. Fecit, vti jusserat, sumptaq́ȝ secum parte reliqua, vbi tempus reficiendi aderat, diuerterũt ad proximum vicum, & dato ad assandum pisce, se pariter, & eos, ad quos intrabant, gratißimo refecerunt conuiuio, prædicante Cuthberto verbum Dei, atque eius beneficia collaudante. Collaudabimus & nos, si inde discamus, & Deo fidere, & paucis contenti esse. Per rapacissimas aues potest nobis dare, dator munerum. Sed duobus piscem vnum dedit. Non suffecit? etiam ad abundantiam pluribus suffecit. Et aquilæ dimidium remiserunt, in confusionem illorum, qui nunquam dicunt: *sufficit*. Sed exemplum antiquius audiamus & discutiamus.

§. III.

Frugalißimum S. Pauli & Antony Eremitarum conuiuium.

Paulus Eremita ab hominum consortio opéq; longissimè remotus, Deo cordi fuit, qui eum, sicut olim Eliam, per volucres pa-

nit.

uit. Cum illum inuisisset Antonius jucundissimoq́ue alloquio & recreasset, & recreatus esset, perspicuè hanc Dei curam vidit. De vtroque D. Hieronymus ita scribit: *Inter has sermocinationes, suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse. Qui inde leniter subuolans integrum panem, ante mirantium ora, deposuit. Post cuius abscessum; Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidij semper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum, militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei fontis marginem vterq; consedit. Hîc verò, quis frangeret panem, oborta contentio penè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius jure refellebat ætatis. Tandem consilij fuit, vt, apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manib⁹. Dehinc paululum aquæ, in fonte, prono ore libarunt: & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegêre vigilijs,* Quid hoc, ô Superi! quis hîc dapifer? vorax & furax auis mensæ ministrat? & cibum affert, cui ipsa libentiùs inhiaret! At optimus œconomus, optimus cocus est Deus, nouit panē

S. Hierō. in vita Pauli Eremi.

pin-

pinſere, ſine furno, nouit os corui frœnare, vt famulis non deſit, quo veſcantur, pro e non ſolicitis ſolicitus. Sed, ô cœli Rector, quid hoc eſt? tam ſenibus? tam ſanctis? tam ſanctè conuenientibus ſeruis tuis adeò plebeium, abſtemium, & propè dixiſſem caninum, immò coruinũ apparas prandium? epulas inſtruis conuiuiales ac hoſpitales, nec quidquam apponis, niſi limpidam aquam, & vnicum, pro duobus jeiunis, & ſanctis viris, panem; quod & Eliæ feciſti, mittens ei ſubcinericium panem, & vas aquæ, per Angelũ. Itáne tractas tuos ſeruos, imò tuos amicos? hæc tua paterna cura eſt? hoc prouidentiæ tuæ indicium? cum interim inimicis tuis, qui te quotidie offendunt, & blaſphemant, graue eſt, vt lautiſſimis prandijs cœníſque contenti ſint? neq; iam plebeium panem, aut fontanam aſpiciunt, ſed ne Atticis quidẽ bellarijs ſaturi, & Græco meraco vino languidi poſſunt aut famem placare, aut ſitim reſtinguere. Nempe non tam tu illos, quàm illi ſeipſos paſcunt, lautitijſque famem non pellunt, ſed irritant, ſitim non domant, ſed, velut oleo ignibus affuſo, magis inflamant: vt, cum perituro diuite, epulantes quotidie ſplendidè, ſplendidè pereant, & ſitim me-

rean-

reantur sempiternam. Illis nihil sufficit, quia deest benedictio, cum qua modicum sufficit. Sanctis nihil deest, quia omnia adsunt, cum Deus adest. Hoc est, quod Psalmista ait: *Diuites eguerùnt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, nòn minuentur omni bono.* Apponuntur illis sanè assa & elixa, è siluis & è montibus petita, volantia & natantia; sed inter hæc omnia esuriunt & sitiunt; abundant & egent, sicut Midas inter aurum, & Tantalus inter fugacia poma. Quidni esurirent, qui conuiuium super conuiuium struunt, qui quater in die comedunt? qui cœnas cum prandijs connectunt? qui fercula apponunt, quorum ne numerandi quidem, nedum edundi copia est? qui tot perdices, ficedulas, gallinas, phasianos; qui totos non tantùm lepores, sed etiam apros mensis inferunt? & tamen semper esuriunt, semper sitiunt, semper ægrotant. Hoc est, quòd magna illa Prophetissa, in Deo suo, magnificabat, qui *esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Nunquid enim subcineritius tantùm fuit panis, quem ad caput suum inuenit Elias? & tamen *ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: usq; ad montem Dei Horeb.* Nec volo-

Psal. 33. 11.

Luc. 1. 53.

3. Reg. 14. 6.

Dan, 1. 12.

volebat Daniel, cum tribus pueris, nisi *legumina ad vescendum, & aquam ad bibendum,* & tamen *apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Ergo amici Dei, & pauperes, quorum est regnum Dei, non solùm exquisita non curant, sed etiam refugiunt, quidquid est delicatum. Quin sæpe neque micis saturantur, quæ cadunt de mensa dominorum, & tamen sani sunt, atq; robusti: morbis innumeris carent, quibus, qui in domibus regum sunt, scatent. Nempe diuina bonitas alit illos, & ipsa abstinentia est illis pro medicina.

§. IV.

Præmia & pœnæ jeiunium quadragesimale obseruantium; aut violantium.

Ad eundem modum, qui Ecclesiæ præcepto, per 40. dies, graui abstinentia obediunt, & sanescunt sæpe, & insuper hostem domesticum carnem spiritui rebellātem domant; Acheronticas laruas vincunt; peccata abstergunt; in spem veniunt, quæ clamat: *Beati qui esuriunt & sitiunt, quoniam* in cœlo, cum Lazaro, *saturabuntur.* O quanta tunc erit rerum metamorphosis! Tunc bona recipient, qui nunc magis affliguntur; &, qui

Matth. 5. 6.

nunc

nunc *ducunt in bonis dies ſuos*, in puncto ad infernum, cum Epulone, proiecti, fruſtra vnius guttæ petent refrigerationem. Tunc accumbent in nuptijs agni, qui nunc ante fores magnatum, inter canes, jacent; & qui nunc in purpura & eburneis ſellis accumbunt, tunc, ante triſtem Cerberum, proſternentur: *ſubtus ſternetur tinea, & vermis erit operimentum eorum*: Tunc ipſe Dominus tranſiens miniſtrabit illis, qui iam, neq; inter mancipia conſiſtere permittuntur; & qui iam primos accubitus ambiunt, in ordinem redigentur, infimique erunt, quando jubebuntur deſcendere, vt nouiſſimum locum in Tartaro occupent. Tunc *torrente voluptatis potabuntur*, qui nunc *panem ſuum cum fletu miſcent*: & qui nunc ſemper Hilaria celebrãt, ac Bacchanalia viuunt, tunc demũ ſentient, *extrema gaudij* à luctu occupari. Quis igitur non vellet, aliquid hîc pati? famere? Eccleſiæ parere? jeiunio vacare, & Deo valetudinis ſuæ curam permittere? cum illi, qui medicos quiritando corrumpunt, aut quibus corporum magis, quàm animarum, curioſi medici peſtiferè adulantur; aut qui iam debilitatem, iam occupationem, iam hunc, iam illum morbum, pro libitu, fingunt, &

Iſa. 14. 11.

prætexunt, vt carnibus ſe farcire, & comeſſando tempus atque conſcientiam fallere possint; ſatietatem ſuam nimis longa & acerba, in Acherunte, inedia ſint commutaturi. Itaque *judicium patris audite filij* (Ecclesiæ) *& ſic facite, vt ſalui ſitis.* Si parum eſt vobis, paruo contenti eſtote: ſi multum, obedite Eccleſiæ ieiunia præſcribenti.

Eccli. 3. 2.

§. V.

Friuolæ excuſationes ieiunia præcepta detrectantium.

At ſeuerum eſt præceptum; grauis inedia; longa dies; impatiens venter; ingens conſuetudo comedendi? Negantur calida. Nec panis ſatis conceditur. Additur pomũ nanum, aut pannucium; libi buccea; villum. Libare hoc eſt, non cœnare. Hæ voces ſunt gulonum, & manduconum, & nõ tam corporis fomenta, quàm libidinis nutrimenta quærentium; atque eorum, qui inediæ fræno inprimis indigerent. Nimirũ, vt cæci, vident; & loquuntur, vt muti, hoc eſt, nihil, aut, quod ipſi non intelligunt, veri Polypi, *qui, vbi quidquid tetigerint, tenent;* ſeu eſculentum ſit illud, ſeu poculentum. Heu quàm multùm diſtant noſtrorũ ſæculorum ieiunia, ab illa ſanctiſſima anti-

qui-

quitate! Paulus & Antonius, & ipſe magnus Elias dapſiliter ſibi viuere videbantur, cum laticem libarent; cum, longo die, dimidium panem manducarent. Dei præcurſor Ioannes, in vtero ſanctificatus, locuſtas comedebat, mel ſilueſtre. Paximacijs contenti erant, qui ſanctiſſimè, in clauſtris, vitam viuentes, vix habebant, quod tam ſeuera pœnitentia eluerent. Nunc ſceleſtiſſimo cuique pane & aqua contentum eſſe, duriſſimum & intolerabile videtur. Quid ergo mirum, ſi ſunt homines, qui de Dei Prouidentia queruntur; nulla enim illis eſt, niſi pinguiſſimæ culinæ prouidentia. Neglexiſſe ſe arbitrantur, ſi non quotidie *Pauus nequitiæ nidum in cacabo facit.* Oeconomum agit Deus, non dulciarium: prandia mittit, non promittit conuiuia: paſci vult ſuos, non diſtendi: ſuſtentari cibis, nō opprimi. Quamobrem etiam alijs, quos, non ſine miraculo, nutriuit, neceſſaria dedit; non curioſa; coliphia, non cruſtula ſubmiſit, aut melimela. Et quando nos docuit orare, dixit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ſeu, vt alia lectio habet, *ſuperſubſtantialem*, τὸν ἐπιούσιον enim, quod alij, *quotidianum*, S. Hieronymus *ſuperſubſtan-* Matth. 6. 11.

M 2

stantialem vertit; quasi tantùm de Euchari-
stia & pane Angelorum soliciti esse debea-
mus; aut certè de diario, & hodierno, non
de crastino pane. Et quanquam, *panis* no-
mine, in diuinis, etiam alij hominum cibi
intelligantur, non voluit tamen Christus à
nobis peti ficedulas, aut alaudas, aut tur-
dos, aut perdices & coturnices: multò mi-
nùs linguas psittacorum. Itaque pane pro-
uisum est, quibus è cœlo sua missa est anno-
na; aut certè rarissimè cibo preciosiore.
3. Reg. 17. 6. Martial. lib. 13. 61. — Nam vtique carnes, quas, cum pane, coru-
us Eliæ detulit, non erant cassitæ, aut *Ioni-
carum gustus attagenarum*.

§. VI.

Eremitæ à pueris & Angelis panis tantùm, sed miraculosè fertur.

Porrò, quod Paulo & Antonio contigit,
id solitario etiam alteri atque Abbati eius,
Seuer. Sulp. dial. 1. c. 3. — Seuerus Sulpitius memorat euenisse. Haud
longè ab eremo contigua Nilo, multa erant
monasteria, è quibus, si qui maiorem vir-
tutem mente concepissent, vt, acturi soli-
tariam vitam, se ad eremum conferrent,
non nisi permittente Abbate, discedebant.
Transgressis ad eremum, Abbatis ordina-
tione, panis, & quilibet alius cibus mini-
stra-

ſtrabatur. Cuidam duo pueri cum panem detulerant, adeò innocentes, vt redeuntibus aſpis miræ magnitudinis veniens obuiã, quaſi incantata carminibus capi ſe, pallióq; inuolutam ad monaſterium innoxiam deportari permiſerit. Duodennis puer *Monaſterium, quaſi victor, ingreſſus, in occurſum fratrum captiuam beſtiam, reſoluto pallio, non ſine iactantiæ tumore, depoſuit. Sed cum infantiam, fidem, atque virtutem ceteri prædicarent, Abbas ille altiori conſilio, ne infirmior ætas inſoleſceret, vtrumq; virgis compeſcuit, multùm obiurgatos, cur ipſi, quod per eos operatus fuerat Dominus, prodidiſſent: opus illud non ſuæ fidei, ſed diuinæ fuiſſe virtutis: diſcerent potiùs, Deo in humilitate ſeruire, non in ſignis & virtutibus gloriari; quia melior eſſet infirmitatis conſcientia, virtutum vanitate. Hoc vbi ille frater audiuit ſolitarius, & periclitatos infantulos ſerpentis occurſu, & ipſos inſuper multa verbera, victo ſerpente, meruiſſe, Abbatem obſecrat, ne ſibi poſt hæc vllus panis aut cibus aliquis mitteretur. Iamq; octauus dies fuerat emenſus, quo ſe homo Chriſti, infra periculum famis, ipſe concluſerat. Arebant membra ieiunio, ſed deficere mens cœlo intenta non poterat. Corpus inedia fatiſcebat, fides fir-*

ma durabat: cum interim admonitus Abbas ille per Spiritum, vt discipulum visitaret, pia solicitudine cognoscere cupiens, qua vitæ substantia vir fidelis vteretur, qui ministrari sibi panem ab homine noluisset; ad requirendum eũ ipse Abbas proficiscitur. At ille, vbi eminus senem venire conspexit, occurrit ei obuiam: agit gratias, ducit ad cellulam. Cum ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam calido pane congestam, foribus affixam, de poste pendere: ac primùm panis calidus sentitur odore, tactu verò, ac si antè paululum foco esset ereptus, ostenditur. Ægyptij tamen panis forma non cernitur: obstupefacti ambo, munus cœleste cognoscũt: cum ille hoc Abbatis aduentu præstitum fateretur; Abbas verò illius fidei ac virtuti adscriberet: ita ambo cœlestem panem cum magna exultatione fregerunt. Quod cum Abbas ad monasterium post regressus fratribus retulisset, tantus omnes incenderat ardor animarum, vt certatim ad eremum & sacras solitudines ire properarent.

§. VII.

Natura & castitas paucis, superbia & luxus abundantia gaudent.

Cuperem horum imitatores existere; nõ qui ad eremum, sed saltem qui, in jeiunio, seque-

ſequerentur, ponerentq́; illam nimiam animi curam: tanquam ſi inualetudinem contracturi & morituri eſſent, ſi conſuetis cibis abſtinerent. Quaſi non de cœlo vires venirent meliores? quaſi non Angeli miniſtrarent, vbi hominum focus deeſt? Quid neceſſe eſt argenteis aureíſq; ferculis menſam onerare? etiam pane viuit homo. Et quem Deus conuiuam facit, non replet lautitijs. Optimum condimentum eſt inedia. Meliùs iſtis panis ſapit, quàm Apicijs noſtris, *Et pictis anas enouata pennis*; & Tuſcus aper, & pauones, & conchylia,

Et quæſitorum terra pelagóq; ciborum
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ. Lucan. lib. 4.

Quàm multi pauperes, jeiunantium diuitũ menſas, epularum ſuarum loco, acceptarẽt? Siquidem, nec, cum feſtiuiſſimè viuunt, etiã opifices dura opera exercentes, tot fercula vident. Ieiunium Dominorum, & Matronarum quale eſt? offa calida; piſces frigidi, omnis generis lactucæ; vuæ paſſæ, amygdalæ, pruna melle condita, omnis generis electuaria; omnis generis fructus; ſaccharei panes; boli vino Maſſico ebrij; & quid non? Cum Deus ſuos amicos vult menſa epulóque honorare, panem apponit, & limpidi fontis

aquam. Quis tantæ ſapientiæ aſcribat errorem? nouit, quid optimum ſit; nouit, quid
Iob. 8. 3. proſit dilectis ſuis. *Nunquid Deus ſupplantat judicium? aut omnipotens ſubuertit, quod juſtum eſt?* Neque ergo habent, quod querantur, qui precioſè non poſſunt comedere, ſed potius, ob quod ſe beatos exiſtiment; neque quod jactent & glorientur, qui regio luxu laſciuiunt, & conuiuantur, more Sardanapali. Quis venenum bibere gaudet? Credibile eſt, ipſum Socratem antè, quàm cicutam biberet, ſuſpirauiſſe. Animæ venenum eſt corporis ſagina; & hoſtem alit, qui alit
Iob. 3. 24. carnem. Hinc dixit Iob: *antè, quàm comedã, ſuſpiro;* quia ſcilicet coactus hoſtem meum nutrio, & facio fortiorem. Vt autem cibo corpus, ſic jeiunio nutritur virtus. Didacus
Bonifacius lib. 2. c. 44. Lopeſius Medinæ prępectus prouinciæ, teſte, Bonifacio, tantus erat Deiparæ cultor, vt non ſolùm, omnibus peruigilijs feſta eius præcedentibus, ſed illis etiam diebus, qui peruigilia ipſa præcedebant, jeiunaret, is dicere ſolebat: bis in die, præſertim noctu, comedenti ac ſaturato, difficile eſſe ſeruare integram caſtitatem, ſine aſſiduo timore judicij diuini ac oratione; vſque adeò jeiunium conſeruat caſtitatem: quam ſaturitas euertit.

tit. *Manducauit populus & bibit, & surrexerunt ludere;* lusum non notasset scriptura, nisi impudicum. *Si quis existimat, se & abundantia ciborum potionumq; perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, seipsum decipit*, ait S. Hieronymus. Exod. 32. 6. S. Hierō. l. 2. in Iouin.

§. VIII.

Saturitatis atq; intemperantiæ incommoda & turpitudo.

Hæc arma milites Christi decent; illa Veneri seruiunt. Serpens jeiuni hominis saliuâ necatur; sic despuit dæmonem, qui despuit satietatem. Equi subtractâ auenâ; venereæ voluptates, ardorq; libidinis, cibi & potus abstinentia, restringuntur. *Ieiunijs*, inquit D. Cyprianus, *vitiorum sentina siccatur; petulantia marcet; concupiscentiæ languent; fugitiuæ abeunt voluptates; extinguitur ardentis Aethnæ incendium; & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit.* Sic suos athletas præparat ad certamen Deus, dum à licitis etiam eos vult abstinere; sicut faciunt, qui in agone contendunt. Orcus non cupit edomare rebellionem carnis; non spoliare tyrannidem Cupidinis; non exarmare gulam; Plin. lib. 38. nat. hist. c. 4. S. Cyprian. de Ieiun. & tentationibus Christi.

neque motus inhoneſtos in cippo claudere, neque arctare aut diſtringere vagos appetitus. Hæc iudicia ſunt cœleſtis Patris; virtutes frugalitate alit; vitia ſinit nutriri preciosè. Et quod mireris, panis fruſto pauperculi, ac Dei ſerui vehementiùs delectantur, quàm Vitellij iſti Iouiali apparatu. Quare etſi totos dies menſis accumbant, tamen

Pſal. 58. 15. *conuertentur ad veſperam, & famem patientur, vt canes: & circuibunt ciuitatem,* per plateas graſſando, quærentque, poſt prolixũ prandium, cœnam longiorem. Ita *ipſi diſpergentur ad manducandum; ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt;* nunquam enim poſſunt ſatis lautè prodigeq; tractari, ſemper queruntur de cibo, ſemper habent in quo accuſent cocum; nihil illis ſatis ſapit, quia non ex fame comedunt, ſed ad voluptatem.

Prou. 27. 7. *Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Itaque tales non poſſunt liberalitatem paternam Numinis accuſare, ſed ſuam inſatiabilem cupiditatem. Quanquam plerumque Deus & natura his calicum trahonibus omnem eripit voluptatem comedendi; immò & facultatem. Raro enim, qui multùm bibunt, multùm comedunt; nec enim po-

cula

cula ferculaque tot & tan ta vno ſtomacho ſimul capiuntur, niſi per vices, nunc vina, nunc fercula reuomantur; vt priùs immoderatè ingeſta locum faciant, immoderatiùs ſucceſſuris. Sed omnium ſtultiſſimum eſt, reperiri, qui cum, præ quotidiana ebrietate, cœnæ obliuiſcuntur, tamen exiſtiment, ſe jeiunaſſe; obſeruata ſcilicet lege Eccleſiaſtica cibos ſolùm prohibente, & lege naturali temperantiæ turpiſſimè violata. Quale hoc jeiunium eſt, potare, vt non eſurias? offerre Deo inediam, & diabalo ebrietatem? Nunquid ſatius eſſet, carere vino, quàm non carere vitio? deſtitui pane, quàm diſtendi dape? incendio alimenta ſubduci, quàm inijci? ſed pauci hoc capiunt. Illos ergo Deus concupiſcentijs ſuis regēdos permittit; aliquando etiam, tanquam fures ac raptores, ſeueriſſimè puniturus. Nam illud vinum ad ſe rapiunt abliguriuntque, in propriam perniciem, quod ægrotis, quod debilibus, atque extrema egeſtate in extrema deiectis debetur. Quod non prodeſt eis, niſi vt, velut dolia, impleantur, atque in morbos pingueſcant, & naturæ ſuffocent vigorem. Neque enim podagra duntaxat in pedibus iſtorum nidulatur, ſed etiam in toto corpote mille

peſtes

pestes, quæ ſubitas mortes, poſt ſe, trahunt. Quod per imprecantis modū prædixit Pſaltes. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint*; hanc habent intemperantiæ ſuæ mercedem, *quib⁹ in ſolo eſt viuēdi cauſſa palato*, hoc eſt, qui non comedunt, vt viuant, ſed viuunt vt comedant; neque à Deo eſcam (ipſis pullis coruorum deteriores) expectant, ſed, vt abundent, etiam egenos ſpoliant. Talis deſcriptus eſt illis verbis: *Sedet in inſidijs, cū diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.* Quid ergo illi continget? *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Pauperum enim ſanguis in venenum ei erit, non in alimentum.

Pſal. 103. 35.

Pſal. 90. 30.

§. IX.

Quàm longè melior ſit conditio pauperum conditione diuitum?

Hæc cum ita ſint, ite iam, pauperes, & dicite, Deum vobis eſſe inclementem: laudate, diuites, ſortem veſtram, immò deplorate. Veritas pauperes *beatos* vocat, beatos qui eſuriunt: de diuitibus autem quid dicit? *Væ vobis diuitibus, væ, qui habetis conſolationem veſtram*

Matth. 5. Luc. 6. Matt. 19.

vestram: væ vobis, qui saturati estis. Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnũ cælorum. Iterum dico vobis, faciliùs est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Vtrum horum iam præstabiliùs est? vtrum consultiùs? diuitē esse, an pauperem? saturari, an macerari? O quantam hîc ganeones, Euclinones, Vitellij, epulones erubescendi atque se se submittendi causam habent? quantum macilenti, Iri, esuriones solatium! Si in eodem carcere duo sint, quorum alteri suspendium à magistratu significatum, alteri dimissio ac libertas; vter plus gaudet, vel dolet? Pincernæ in vincula dato Ioseph prædixit, post tres dies, in pristinum gradum restituendum; pistori, post tres dies, ad coruos iturum; cum vtro tu esse voluisses? nónne cum pincerna? At quid Christus diuitibus & splendidè epulantibus, quid pauperibus & tenui victu vitam sustentantibus dixerit, audiuisti: cum quibus igitur censes fortunatiùs agi? Nõne insania est, diuites quosdam de æterno supplicio, quò sunt certiores, eò esse superbiores? Diogenes, sceleroso cuidam, probri gratia, obijcienti paupertatem: *ob paupertatem*, inquiebat, *neminem vidi torqueri, ob malitiam* *mul-*

Gen. 40. 13.

multos; neque in gehenna quisquam torquebitur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi, quia *epulati sunt quotidie splendidè*.

§. X.

Canis & porci fabula macilentis & pinguibus accommodata.

Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdiu ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incursus pugnare; sustinere æstum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix bucceam panis à pastore accipiebat; & plerumque, vbi etiam bestiarum dentibus saucius oües domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod roderet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, (si tamen non corium potiùs) totus ocio & sagina pinguescebat; interdiu semper in cœno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præ foribus excubandum, & contra fures indesinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hylactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, vt qui setosum, fœdum,

fœdum, otiosum, pigrum atque inutile animal, pinguissimis offis, delicatè nutriret, fidelissimo autem custodi domus, ossa duntaxat obijceret, & indurata panis frusta, quæ alius nemo comesse vellet. Huic colonus, ne succēseas, inquit, mi fidelis, sed diem crastinum expecta, & videbis hunc tam obesum porcum in cædem saginatum, cum tibi macilento viuere licebit. Altero die cum canis videret lanionem cultro, primùm in jugulo porci, mox etiam in ventre & vnctissimo lardo, totísque intestinis cruentissimè ludentem, subiectáque sartagine sanguinis riuos excipientem, necquicquam bestia miserabilissimè grunniente, dixit: Si hîc saginæ finis est, nolo saginari; magis mihi prosunt ossa & mucidus panis. Non longo epimythio opus est huic Apologo. Audite *omnes* Psal. 21. 30.
pingues terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ezech. 34. 20.
Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, & macilentum. Quo modo autem judicat? Homines cum irascuntur, subducunt seruis, aut filijs cibum; Deus iratus nouit cibum dare abundantiorem. Mirabile exemplum Israëlitarum, qui *in iram excitauerunt Excelsum in inaquoso, & tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escam animabus suis. Et malè* Psal. 77. 17.
locu-

locuti sunt de Deo. Ideò audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascēdit in Israël. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorū. Vides, quid iratus faciat Deus? pingues sinit fieri homines, sed pingues occidit; dum parcit ijs, qui vix ossibus hærent. De tali porco occiso legimus & alibi, cuius ipse Samuel e-
1. Reg. 15. 32. git lanionem: Dixitque Samuel: *Adducite mihi Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus & tremens. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis:* Ne dubitate, vitiosè pingues, ex adipe vestro æternus ignis plus alimenti, est habiturus. Benè confidite, macilenti ieiuniis; plus & valetudinis & virtutis habet, qui sic minus habet in cute pinguedinis.

§. XI.

Diuitijs pretiosior paupertas.

Eccl. 33. 30. Qui homini dixit: *sine judicio, nihil facias graue,* an ipse sine judicio patietur amicos suos

ſuos eſurire, ſaturari inimicos? opes his, tanquam maius beneficium, dabit, illis negabit? nequaquam. Maius eſt beneficium minus habere. Plerumque qui diuitijs, idem & vitijs vicinior eſt. Paupertatem Diogenes appellabat virtutem αὐτοδίδακτον, id eſt, *quæ per ſe diſcitur*, ſeu potiùs *virtutis magiſtram.* Diuitibus opus eſt multis præceptis, vt frugaliter viuant; vt corpus exerceant; vt laborent; ne veſtium ambitioſo cultu delectentur; ne potus cibíque intemperantia, in lites, jurgia, homicidia, aliáq; innumera mala prolabātur: quæ omnia ſe ipſam docet paupertas. Apud diuites, *libêre & licere, idem eſt.* Pauperes, quot ſupra ſe habent, tot habent cuſtodes. Grauiſſimè pronunciauit Auguſtinus: *ſeculi potentiam, eſſe impunitam nequitiam.* Pulcherrimè Solenſis Crantor vitam frugalem pauperémque Ithacæ Vlyſſis patriæ comparabat, quæ juxta Homerum, aſpera quidem erat, ſed bona κουροτρόφος, id eſt, juuenum altrix: dum eos cōſuefecit frugaliter & continenter viuere, & ad omnem virtutis functionem exercuit. Eapropter & Philoſophi ſapientiores olim, &, Chriſto poſtea veram ſapientiam homines docente, etiam ſanctiores quique, vitam inopem di- S. Auguſtin. de Verb. Dō. ſerm. 37.

uitijs; olusculum caponibus; symposijs sitim; conuiuiis centum ferculorum, panem mendicando obtentum prætulerunt. Lycurgus, ciuibus quibusdam interrogãtibus, quo modo liceret hostium insultum effugere? *Si*, inquit, *pauperes fueritis; non facile potest elabi, qui sarcinis & impedimentis retardatur.* Cui ergo nec ære loculus, nec crapula stomachus grauis est, is longè faciliùs infernũ hostem fugiet persequentem, longè expeditiùs, per huius vitæ stadia, curret ad æternę salutis brauium.

§. XII.

Viri à ciborum luxu abstinentes.

Hinc Pauli, hinc Antonij, hinc Macarij, hinc Paphnutij, hinc Frontonij, Pachomij, Venantij, hinc jeiunijs exenterati lignei illi & ossei Hilariones, Serapiones, Spiridiones. B. Fulgentius Ruspensis Episcopus sic viuebat, *vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret, ac superducta (quam dicunt) impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur.* De qua seueritate cũ nec æger remitteret, *Scimus omnes*, aiebat, *ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse cõferri. Nam vt sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas; quare infirman-*

Sur. 1. Ianuar. in vita eius. c. 6.

mantur etiam illi, qui conuiuijs lautioribus quotidie saginantur? Enimuerò abstinentia hæc vires extemplo recuperauit. De S. Edmundo Cantuariensi Archiepiscopo legimus; à prima pueritia ab omnibus quidem rebus creatis eum, quantum per vires licebat, præcipuè verò à sermone, somno, cibo, potu abstinuisse. *Solo pane & aqua, sextis ferijs, contentus fuit. Interdum solum panem edens, nullum omnino potum admisit. Vnde id consecutum est, vt nonnunquam labia eius scissa viderentur, vt solet arida tellus humorem sitiens. Defluebant, à capite, barba & pili, medicis eius rei caussam dicentibus, quòd corpus eius humoribus destitutũ esset. Cibis vescebatur vilioribus. Quòd si adessent delicata fercula & potus lautior, minùs ijs vtebatur. Nolebat, vt sua caussa, quisquam ex ipso perquireret; quibus in prandio vesci vellet? Et, si appositas escas quispiam commendasset, gustare eas nolebat, quòd opiperas esse, inde conijceret. Rarissimè, in die, bis edebat, idq́; non nisi honesta ratione suadente.* Ipsi Imperatores Iustinianus à Procopio; Theodosius junior à Socrate; Carolus Magnus à Cranzio, & Andrea Brunnero nostro, de abstinentiæ cultu admirabiliter commendantur; tantò vtiq; magistri præstantiores, quia penuriam pati

Sur. 16. Nou. in vita eius. c. 14.

Procop. l. 1. Socrat. lib. 7. c. 22. & Baron. An. 415. Albert. Cranz. lib. 2.

Saxoniæ. c. 8. & l. 4. Annal Boiorũ. An. Brun

maluerunt, cum omnibus rebus abundarent.

§. XIII.

Fœminæ lautiorum ciborum abstinentiam docentes.

D. Hieron. ad Marcellam. c. 15.

Quin neque fœminæ desunt, quæ victus Parsimoniam epularum delitijs prætulerũt. De Asella virgine, sic scribit Hieronymus: *Cum per omnem annum jugi jeiunio pasceretur, biduo triduoq; sic permanens, tum verò, in Quadragesima, nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas, vultu lætante, coniungens. Et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur injuria, non sicca humus, in qua cubabat, jacentia membra conficeret; non sacco asperata cutis fœtorẽ situmq; contraheret, sed, sano corpore, anima sanior, solitudinem putaret delitias, & in vrbe turbida eremum inueniret monachorum. In genibus durities camelorum, præ orandi frequentia, occalluisse reperta est.* Huic, merito suo, annumeranda est Genouefa virgo Parisiensis, quæ, Bonfinio teste, à quinto decimo ætatis suæ anno, vsque ad quinquagesimum hordeaceo tantùm pane & fabis contenta, bis

Bonfin. l. 5. hist. Decad. 1.

bis duntaxat, in hebdomade, cibum ſumebat. Quæ exempla meritò in ruborem dare poſſunt ſæculi noſtri Iunones, quæ teneritudinem complexionis, & ſtomachi debilitatem prætexunt, ne ieiunio compenſare cogantur luxum luxuriémque, qua, in triclinijs & receſſibus, Deum grauiſſimè offenderunt. Scilicet ad centum fercula digerenda ſatis potens ſtomachus; ad vnam cœnam omittendam eſt nimis infirmus. Quemadmodum, vt in hyeme, vnâ horâ, concioni interſint, cœli aſperitas & frigus obſtat, nõ obſtat, vt in campis, per totos dies, venentur: & compluribus horis, in rheda, per niues, & glaciem, omnibus plateis, inter vrentes frigore Aquilones, circumuehantur, quaſi non heroides, ſed Mænades eſſent. Nimirum non cœlum, ſed ipſæ ſunt frigidæ: cum Dianis vtique, non cum Genoueſis comparandæ. Si eligat quiſpiam, quod Superis approbandum, ſibi remunerandũ, Inferis deteſtandum rectè iudicat; eliget vtique, vt ſibi diuina Bonitas frugalem potiùs, quàm luxui deditam voluptariámq; vitam largiatur. Quid ergo Deum, tanquam immitem, accuſamus, ſi ab eo id habemus, quod ipſi, ſi rectè calculum ducimus, cen-

ſemus præoptandum? Videmus, nihil deeſſe timentibus Deum; auaris autem nihil ſufficere, & ditiſſimos conqueri de paupertate: vt vel hinc ſapere poſſimus. *Optimum eſt* enim, *aliena inſania frui. Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.*

Plin. lib. 8. Nat. hiſt. c. 5.

§. XIV.

Intemperantia pereuntes.

Neque animæ periculum eſt tantùm, ſed & vitæ præſentis; quæ crapulâ acciditur. Quid intereſt, laqueo, an cibo ſuffoceris; fluuio, an dolio ſubmergaris? Acino vuæ paſſæ ſtrangulatus eſt Anacreon Teius, teſte Politiano. Immodico vini hauſtu, anno ſuæ ætatis LXX. iugulatus eſt Archeſilaus Prytanæus, vt memorat Diogenes. Aiunt & Andobuntum Anglorum regem in cœna quandoque tantum vini ſumſiſſe, vt eo obrutus repentè exceſſerit è vita. Mille ſunt exempla. Sed Medicorum ſententia eſt, plus nocere nimiam cibi, quàm potus ſaturitatem. Itaque & hinc multi in morbos, immo & in ſubitas mortes labuntur. Domitium Aphrum Euſebius ſcribit, cibi ſuperfluitate redundantem, in cœna, perijſſe. De Septimo Seuero Imperatore refert Aurelius Sextus, eum, dum membrorum omnium, maxi-

Politian. in nutric. Hermip. apud Diog.

maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidiùs deuorauisse: quem dum concoquere non posset, cruditatem passus expirauit. Ac de Valentiniano Imperatore idem author recenset, eum intemperantia cibi ac saturitate, cum Quadorum legationi respōderet, voce impetu sanguinis amissa, sensu integrum expirauisse. Quod & de Iouiano Imperatore testatur Baptista Egnatius. Certè Gregorius Turonensis author est, Childericum Saxonem, cùm aliquando ad ambas vsque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, in lecto, mortuum, repertum. Nimirum in compendio dici potest: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijcit vitam.* Consultius ergo est & vino, & cibo nimio carere; quàm abuti, si abundes. Nec tamen seruis suis nihil dat, qui nimium non dat Deus; sicut neque improbos semper sinit abundare. Eccli. 37. 34.

CAPVT. IX.

Quàm prodigiosâ liberalitate Deus seruis suis, maximeq; religiosis prouideat tempore necessitatis?

 §. I.

§. I.

Diuites à Deo inanes dimitti.

PIctores, vt lucidis coloribus gratiam addant, cósque faciant eminentiùs clarescere, illos colores juxta ponunt, qui habent obscuritatem. Ita Deus inimicos suos, in ipsa copia, subinde penuria affligit, vt cura illius & amor tantò fiat illustrior, quando paternè prospicit amicis. Auaris, & voluptuarijs, ventrémque magis, quàm Numen curantibus ita minatur. *Decem jugera vinearum facient laguncu-*
Isa. 5. 10. *lam vnam, & triginta modij sementis facient modios tres: Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuū eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* His etiam in Psalmo prædicitur.
Psal. 58. 7. *Et famem patientur, vt canes.* Nam, etsi sint diuites, etsi abundent, tamen poteſt eos diuina vindicta ad incitas redigere; & è Crœsis Iros facere. Quin multi, præ auaritia, quò plus habent, minùs audent comedere,

aut

aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluuiémq; suam explēt. Quò vina plus bibuntur, plus sitiūtur. Hinc helluones, hinc gurgites vocātur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbræ non conuiuæ; nec socij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati.

§. II.

Esurientes impleri bonis à Deo.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui *non affliget fame animam justi.* Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & nō timebis calamitatem, cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ei⁹. Vt eruat à morte animas eorū: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.* Non enim in Domino, sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de

Prou. 10. 3.
Iob. 5. 20.
Ps. 32. 18.
Ps. 36. 18.

Dei prouidentia & bonitate ſentiunt, quod oportet, haudquaquam ambigunt, vitam ſuſtentationémque ſuam multò magis curari à Deo, quàm à ſeipſis.

§. III.

Deum ſuos paſcere ſcriptura exemplis docetur.

Quod ſanè SS. PP. luculentè docuerunt. *Non poteſt*, inquit S. Auguſtinus, *quotidianus cibus deeſſe juſto, cum ſcriptum ſit: Non occidit Dominus fame animam juſti. Et iterum: Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem: Et iterũ: quærentibus regnum Dei, & juſtitiam eius omnia promittit apponi, & cum ſint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, ſi DEVS ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu, juſſu regis, incluſo, prandium diuinitus procuratur, & inter feras eſurientes homo Dei paſcitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis miniſtrantibus & volucribus cibum apportantibus, in perſecutione nutritur.* Eliſæus quoque, tempore famis, nonne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantùm, ſed & panes. *Vir autem quidam venit de Baalſáliſa deferens viro Dei panes primitiarum,*

S. Auguſt de orat. Dominic.
Prou. 10.
Pſal. 36.
Luc. 12.
4. Reg. 4. 38.

rum, viginti panes hordeaceos, frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat. Responditq; ei minister eius: Quantum est hoc; vt apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit. Posuit itaq; coram eis: qui comederunt; & superfuit, juxta verbum Domini. Imago hæc & adumbratio fuit Christi, ad eundem modum, quinque panibus hordeaceis quinque virorum millia, in deserto, pasturi; & pasturi ita, vt duodecim cophini superessent, & tantò plus restaret, quantò plus ademisset. Elisæo *in pera* allatum est *frumentum*; Christus discipulos suos, *sine sacculo & pera* misit, & nihil illis defuit. Quare etiam de imitatore Christi & Apostolorum ait D. Ambrosius: *Fide tutus putet sibi, quò minus ea requirat, eò magis panē suppetere.* Curat enim Deus magis, qui Deum curant magis; & pullatis vestibus album panem pinsit, vt in prouerbio est. Quanquā enim Dei seruis carnis curam non habentibus, sed jeiunio atque abstinentiæ deditis faciliùs satisfiat; cum pomo, nucibus palmarum, pistaceisue satiantur, aut cum ex jure hesterno panem atrum edunt: tamen diuina manus, cum nec ista suppetunt, mirificè

Ioā. 6. 11.

4. Reg. 4. 42.

Luc. 22. 35.

rificè eis succurrit. Proderit, benignum hunc Dei morem in exemplis docere.

§. IV.

Farina D. Benedicto diuinitus missa.

Agmen ducat antiquissimus & sanctissimus Benedictus, de quo D. Gregorius ita scribit: *Alio quoq; tempore, in eadem Campaniæ regione, fames incubuerat, magnáq; omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamq;, in Benedicti monasterio, triticum deerat: panes verò penè omnes consumti fuerant, vt non plus, quàm quinq;, ad refectionis horam, fratribus inueniri potuissent. Cúmq; eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promißione subleuare, dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est: sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos omnipotẽs Deus, quibus deferentibus, transmisißet, nunc vsq; manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundãtia nec in egestate dubitare.* Hæc D. Gregorius, qui infra aliud his verbis subjungit.

S. Greg. l. 2. dial. c. 32.

§. V.

§. V.

Idem Diuus oleum dando, oleum accipit.

Eo quoq; tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt pene nihil in cellario, nisi parum quid olei, in vitreo vase, remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, jussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem jubentis verba, sed implere distulit. Cúmq; post paululum, si id, quod jusserat, datum esset, inquireret; respondit monachus, se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram projcerent, ne in cella aliquid, per inobedientiam, remaneret. Factúmq; est; sub fenestrâ autem eâdem ingens præcipitium patebat, saxorum molibus asperum. Projectum itaq; vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si projectum minimè fuisset, ita vt neq; frangi, neq; oleum effundi potuisset. Quod vir Dei præcepit Ibid. c. 39.

leua-

leuari, atq; vt erat integrum petenti tribui. Tūc collectis fratribus inobedientem Monachum de infidelitate suâ, & superbia, coram omnibus, increpauit. Quā increpatione completâ, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autē loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum: Cumq; sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto atq; subleuato, oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationem compleuit, atq; in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientémq; fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem: Idem verò frater salubriter correptus erubuit; quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quàm admonitione intimauerat, miraculis ostendebat: nec erat iam, vt quisquam de eius promißionibus dubitare poßet: qui in vno eodémque momento, pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidißet.

§. VI.

Dando non perdi opes, sed augeri.

Discant hinc malè prouidi, immò male-
Luc. 6. 38. dicti auaritiæ ministri, quàm verum sit illud:

date,

date, & dabitur vobis: discant inde acquirere, vnde se putant perdere; nec, quæ dominorum benigna liberalitas jubet distribui pauperibus, ea vel in dominorum commodum, vel, quod deterius est, in suum marsupium referuent. Optimus modus accipiendi est, Dei amore, dare: dum sic minuuntur opes, augentur. Inscitia igitur, immò impietas est, dicere illud, quod apud Aristophanē legitur: *Oleum non est in lecytho;* aut decerpere aliquid, vel totum recondere, quod in templorum & egenorum vsus à Dominis est destinatum. Fraudem hi faciunt Dominis suis, quos, dum micam, dum guttam, dum exiguas opes comparcunt, opibus maioribus spoliant. Imo tam imperiti sunt œconomi, vt, dū scrupulosissimè quærunt heros, principésque suos locupletare, eosdem ad summas angustias redigant depauperéntque. Si enim Deus *centuplum*, etiam in hac vita, promittit, an non, dum vnum florenum jussi in pauperes expendere, eum Domino suo inexpensum asseruant, eidem centum alios furantur? Et tamen, prô dolor, quid iam frequentiùs fit in mundo, qui plenus est, eiusmodi fatuis. quid dico, fatuis? atheis Politicis arcarijs, & thesaurarijs, quorū tota

Aristo-phan. in Auibus.

Matt. 19. 29.

pru-

prudentia œconomica in eo consistit, vt nihil dispensent, vt Ecclesiæ Ecclesiasticísque sua accîdant, demant, inuertãt fauores, gratiam, dona Principum. Nempe huc ventum est rerum, hæc nunc industria censetur, vt bonum temporale, Politicúmque, passim bono spirituali & Ecclesiastico anteponatur. Sic virtus it post aurum; sic anima seruit carni; sic religio subijcitur auaritiæ; sic cœlum terris, immo ipse Deus Mundo cogitur famulari. An non tales athei? an non sacrilegi? an non desperati? an non fures? an non ea restituere omnibus pauperibus obstringuntur, quæ ne pauperes à dominis donata acciperent, impediuerunt? Quàm longè præstaret, cum D. Benedicto, has vitreas opes omnes, per fenestram, aut in mare Creticum proijcere; immo spargere in pauperes. Profectò sic non frangerentur, sic *in æterna tabernacula* portarentur. Sic dominos suos demum verè opulentarent. Hæc esset vera fidelitas, talis quæstor quæstum faceret, essetque verè *fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Qui autem hæc non credit, non facit; & qui non facit, non credit, vt proinde, cum iam totæ scholæ sint talia dicentium, & facientium,

hæc

hæc ipsa tempora esse Antichristi videantur, quibus se Christus dixit, *fidem non inuenturum in terris.* Luc. 18. 8.

§. VII.

Iter agentibus PP. Dominicanis, quomodo Deus prospexerit?

Alia fide imbutus fuit D. Benedictus, ceterique religiosorum conditores, qui crediderunt, Dei bonitatem esse tam bonam, vt nulla se sinat liberalitate superari. Itaque religionem ingressi omnia, Christi amore, dimiserunt, Christum sibi peculiaribus studijs obstringentes, vt ipse quoque peculiarem eorum curam susciperet. In D. Dominici vita legimus, recente adhuc ordine, eum alumnos suos, Christi more, binos, ad pœnitentiam prædicandã, in varia loca ablegasse. Contigit aliquando, vt horum duo, vsque ad horam nonam diei, hoc est, vsque ad vesperam, absque cibo, fame atque itinere fatigati, inter se mœstis animis consultarent, vndénam, aut quid, ad corpora curanda, in regione ignota, apud ignotos paupérésque sperare possent? Ita solicitis & nutantibus repentè superuenit vir statura procerus, forma honesta & eleganti, sed habitu peregrino, qui illorum infirmam & modi-

cam fidem vultuoſiùs, & ſermone ſeueriore accuſans: Potuiſtis, inquit, credere Deo, vt eius cauſsâ Mundum relinqueretis, nunc autem credere non poteſtis, illi curam eſſe
Pſ. 146. 9. de vobis? *qui dat jumentis eſcam ipſorum?* Non ſinet filios fame emori: quod vos ipſi hodie abunde experiemini. His acriter dictis, videri deſijt (cœleſtis quippe Genius erat) fiduciâ magnâ in animis eorum relictâ. Proſequuntur igitur viam, & in pagum proximum, cúmque haud magnum aut nobilem declinant; ingrediuntur in templum, orant; orantes loci ſacerdos comiter inuitat, domúmq; ſuam vt viſant, rogat. Dum eunt, obuius miles, ſuos vult eſſe conuiuas. Oritur pium certamen. Negat ſe id paſſurũ ſacerdos, ſibi iam condixiſſe dictitans; ſe jure eſſe priorem. Miles, contra jus, vim oſtendit; &, injecta manu, innocentem facere rapinam laborat. Hac controuerſiâ diu agitatâ, ſuperuenit, diuinâ prouidentiâ dirigente, oppidi Dominus, litémq; dirimit, ductis in ſuam domum, lautéq; habitis & Religioſis, & milite, & ſacerdote. O quàm rara lis eſt, quantò potiùs nunc homines auari, eiuſcemodi hoſpites ſolent à ſe ad alios deriuare, quàm, exemplo Abrahæ, obuiam pro-

procurrere, atque ad se trahere! quoties, negant se esse domi, cum tales aduenæ fores pultant? Neq; idcirco diffidendum, quia nouit Deus, in cuius manu sunt corda hominum, etiam de parcos Euclìones, ad succurrendum suis, cōmouere. Quod eò illustriùs est opus; quemadmodum & mirabilius est, è pumice, quàm è fonte, aquam elicere.

§. VIII.

Eadem PP. Franciscanis accidisse.

De D. Francisco scribitur, eum, quoties suos aliò amandaret, nullum illis aliud viaticum dare consueuisse, quàm illud Psalmi: *Iacta super Dominum cogitatum tuum, & ipse te enutriet*: cuius versiculi fides, instar omnis peculij, erat. Accidit, vt duobus ab eo peregrinatum missis, diémq; iam ferè totum, via inediáq; confectis, vires deficerent, quin vt stipe ostiatim flagitatâ, nihil à quopiam mortalium porrigeretur. Quàm pronum est, tali tempore, homines fieri subtristes & impatientes? Quàm facilè solicitudo futuri & præsens inopia confidentiam labefactat? Et tamen, in his ipsis viris, pusillanimitatem Deus censuit castigandam. Misit igitur ex astris adolescentem ipsis astris formosiorem, qui, interrogatâ caussâ, ob quam adeò

Psal. 54. 23.

deiecti animis essent, binos eis panes exhibuit; quibus dum illi assidentes humi suauissimè vescerentur, cæpit eos asperis verbis castigare: *Homines*, inquit, *modicæ fidei, cur diuinæ curæ iam diffidebatis? Non vobis in mentem veniebat verborum illorum Prophetæ, quæ tam sæpe vobis S. Pater vester inculcauit; Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, cum eius videlicet bonitas ne bestijs quidem agri desit? Quamobrem hoc scitote, nullam ob aliam causam distulisse Dominum opem suam, nisi vt fame ipsa diffidentiam vestram puniret.* Dixit hæc, & complura alia talia; vbi loqui cessauit, cessauit pariter etiam conspici. Satis illi fuit, cum corpore mentem etiam illorum pauisse. Nos quoq; inde pascamur, neque statim animis concidamus, si non illico manna è cœlo cadit, aut è nubibus nobis aduolant coturnices. Illo nos solemur, illud identidem animo voluamus: *Quo modo miseretur pater filiorum, mi-*
Psal. 102. 13. *sertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Scit ergo nos indigere; &, tanquam pater, non sinit indigere, ad desperationem. Miseretur, vt Pater; iuuat vt Dominus; præuenit, vt Deus.

§. IX.

§. IX.

S. Saba, quo modo, in necessitate, à Deo fuerit prouisum?

Narrat è Cyrillo Baronius, An. Seruatoris 513, in Laura, monachis sub Saba degentibus adeò aliquando victui necessaria defuisse, vt ne quidem panis suppeteret Missæ sacrificio peragendo. Is, qui penum ex officio curabat, monuit Sabam, imminere diem Dominicum, neque præsto esse panem, qui posset in Christi corpus consecrari. Nihil ea inopia Sabam turbauit; iussit insuper sacra fidenter & sperari, & apparari. *Est fidelis*, inquiebat, *qui iubet crastinum manere liberum à solicitudine, quod attinet ad vsum corporis.* Nondum aduenerat Dominicus dies, & ecce adsunt quidam facie incogniti equisones, cum triginta iumẽtorum onere. Onus autem erat frumentum, vinum, oleum, & alia monachis idonea ad alimentum; adeò copiosè congesta, vt Laura capere vix posset. His illatis, anxio monitori suo dixit Sabas: *Quid ais? Sacrúmne dimittemus ministerium?* Qua voce ita perculit diffidentis animum, vt in genua procumbens exiguæ suæ erga Deum confidentiæ veniam, cum lachrymis, flagitaret.

Baron. tõ. 6. An. 513. & Cyrill. in vita Sabæ, apud Sur. 5. Decẽb. Matth. 6.

Igitur & tu, Lector, *quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum; noli metuere, non se subtrahet, vt cadas*, aut fame pereas. Quoties expertus es illius opem, cum non videres, vnde iuuari posses? Ne igitur imposterum diffidas, quia experientiâ sperare didicisti.

S. Augustin. lib. 8. Confess. c. 11.

§. X.

S. Ignatio Loyolæ quàm prouidè succurrerit Deus?

De sanctissimo nostri ordinis Fundatore Ignatio Loiola, in vita eius hæc scribit Ribadeneira. *Atq; in hac firmißima in Deum spe, pecuniaq́; despicientia, Ignatij altitudo animi multùm excelluit. Erat enim voluntate, réq; pauperrimus: animo, Deiq; fiducia opulentißimus. Quapropter nullum, qui ad institutũ nostrum aptus, vocatúsq; à Deo videretur, à Societate vnquam exclusit, propter nostrarum rerum tenuitatem. Illúdq; frequenter vsurpabat, Nos quidem Deo seruiamus: ille certißimè reget nos, & nihil nobis deerit. Iactemus cogitatum nostrum in Dominum, & ille nos enutriet. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & pascemur in diuitijs eius. Et cum quidam non ex externis modò, sed etiam ex domesticis vehementer mirarentur, qua fretus spe, tam mul-*

Petr. Ribaden. l. 5. vitæ S. Ignatij. c. 9.

multos Ignatius nullis certis redditibus fultus Romæ haberet, quibus alendis magnæ façultates vix sufficerent, idq́ familiariter ex ipso quærerent: an nescitis (inquit) quantas vires spes in Deum habeat? vel ignoratis, parum illic esse loci, vbi omnia abunde suppetant? Quæ explorata si essent, & manu tenerentur, vbi nostra esset in Deum spes? spes enim quæ videtur, non est spes. Nam quod quis videt, non sperat. Atq; ita sanè euenit sæpißimè, vt nostra paupertas ex spe contra spem sustentaretur: eiusq́ rei multa sunt, eaq́ clarißima exempla, quæ si persequi omnia velim, longus nimis sim, pauca tantùm subijciam, ex quibus similia intelligantur. Quo tempore bellum inter Paulum IV. Pont. Max. & Philippum Regem Catholicum gestum est, magna erat in vrbe annonæ caritas, & domi nostræ rerum omnium penuria: itaq; nonnulli ex nostris suadebant Ignatio, vt familiam suam, quæ Romæ erat, diuideret, & partem nostrorū ad alia collegia, vbi cōmodiùs ali possent, amandaret. Ignatius verò, hoc ipso tempore, Antoniū Labacum Architectum apprimè nobilem atq; excellentem, qui filium habebat in Societate, ad se accersiri jubet, cum eo, de solo eligendo ac designando, & duobus collegijs Romano & Germanico ædificandis, agit diligenter, jubet vti for-

mam, exempláręq; delineet, rationes sumptuum subducat, ac rem totam subscribat. Atq; hoc facto declarauit Ignatius, illa Dei opera altißimis fixa esse radicibus, & supra eam petram esse fundata, quæ neq; imbrium vi, neq; fluminum exundatione, & concursu obrui possunt, neq; ventorum impetu labefactari. Post exempla subjecta, quæ supra retulimus, sic pergit. *Quotidiana experientia Ignatius confirmatior, & in dies singulari in Deum spe erectior euadebat, cum tot argumentis disceret, se, suósq; illi curæ esse: & vbi maiores rerum ad vitam necessariarum angustiæ timeri poterant, vbi diuinam prouidentiam largiùs omnia suppeditare, & benigniùs sibi præsto esse. Illud præterea, quod fuit maximè insigne, & Romæ nostris omnibus vulgatißimum, addendum puto. Anno salutis nostræ 1555. 16. Septemb. Ioannes Polancus pecuniam, ad sumptus collegij Romani necessarios, neq; mutuam, neq; fœneratitiam, nec vlla alia ratione diligentißimè conquisitam inuenerat. Rem ad Ignatium placidißimè detulit. Ille verò in cubiculum se abdidit; orationi se dedit, Deum precatus est, vt præsenti subueniret inopiæ. Post orationem Iacobum Laynem, Christophorum Madridium, ipsum deniq; Polancum ad se vocat, ipsis, quid a Polanco acceperit, exponit, seq; rem*

rem totam Deo commendasse ait, & se quidem neq; prophetam esse, neq; filium prophetarum, sed tamen pro certo habere, Deum rebus prouidentissimè consulturum. Et ad Polancum conuersus: Tu (inquit) Polance, in sex proximos menses Collegij res curato, & illi sumptus necessarios suppeditato, ego te istarum rerum cura postea liberabo. Permirum fuit, eo ipso die, qui tamen iam vergebat in occasum, duobus ex locis, ab hominibus nostræ inopiæ, atq; difficultatis ignaris, sponte pecunia missa est, qua ex illis tunc angustijs exire licuit. Profectus sum ego Octobr. mense proximo in Germaniam inferiorem, & mense Martio insequentis annis 1556. cum sex mensium spatium ab Ignatio definitum, aut effluxisse iam, aut appetere videretur, Romam ad Martinum Olauium scripsi, me vt de rei exitu faceret certiorem. Ille verò rescripsit, pridie eius diei, quàm à me literas accepisset, magnam pecuniæ summam, eleemosynæ nomine, Romam nostris allatam, æs alienum penè dissolutum, Polancum illa anxia rerum necessariarum cura liberatum, solutiore animo esse, res omnes fluere, & supra opinionem omnium, quàm vnquam antea copiosiùs abundare. Itaq; verba Ignatij reipsa & felicissimo successu adeò esse comprobata, vt ipse majora miracula non requireret ad

habendam fidem Ignatio: sed cœleste tantùm lumen, quo illustratus mentis oculis videret, quæ corporeis oculis cernebat. Hæc de S. Ignatio Ribadeneira, compluráque, eodem loco, commemorat illustrissima fiduciæ eius erga Deum exempla, quæ omnia repetere, prolixum esset. Est in manibus author. Ad alios, & alia propero, prodigijs plena & documentis.

§. X.

S. Franciscum de Paula, in ædificando cœnobio, quibus prodigijs adjuuerit Deus?

Fancifcus Victon. in vita & mirac. S. Francifci. à Paul. c. 16. lib. 1.

Fons quidam perennis miraculorum erat Franciscus de Paula, per quem, & in quo, cum monasteria ædificaret, diuinam suam protectionem illustrissimè Superi ostenderunt. *Superant fidem humanam,* inquit vitæ illius Scriptor, *quæ Angelorum haud dubiè ministerio, in Paulani conuentus fabrica, visa sunt miracula, nihil illis aut frequentius, aut incredibilius, nam onera grauia facili negotio, virtute diuina trahebantur & vehebantur frequentißimè, & collis vicinus, qui Dormitorio extruendo officiebat, ad nutum sublatus est in alium locum; alius verò, qui imminebat, facto crucis signo, medio in aëre suspenditur, & verbo eius sistitur, fons solo erumpit ad operarum vsum*

sum commodiorem. Calx non sine miraculo effossa terra producitur. Fornacem frequentiùs succensam, in qua calx decoquebatur, illæsus ingreditur, & egreditur, vt periculo, quod ingruebat paupertati tanti viri, sese opponeret innocentia & sanctimonia. In huius porrò miraculi, quod vulgatissimum est, monimentum, eò loci visitur sacellum, illincq; tellus educitur, è qua vasa opere figulino composita per vniuersum orbem deferuntur, ad febrium aliorúmq; morborum præsentissimam medelam. Nec vno, aut altero tantùm exemplo compertum habemus ignis erga Francisci castimoniam obsequia. Nã titiones extinctos accendit, cibos sine igne excoxit, manus in ollas & lecythos olei feruentis illæsus immisit, lapides calcineos candentes è fornace eduxit, lateres & saxa in ignem injecta, & calore rubentia, è foco in vas, in quo infirmus lauandus erat, balneúmq; satis dissitum loco, instar rosarum, gestauit, nudis pedibus ignem periculosè spineta inuadentem compressit & extinxit, nudis etiam manibus, plantisq; succensas prunas protriuit, lampadésq; ac cereos sine lumine accendit. Calcem è fornace candentem manibus illæsis eduxit, & contrectauit. Accidit aliquando, vt faber ferrarius B. Francisco quicquid ferri ad Conuentus fabricam desideraretur,

tur, polliceretur, dummodo carbonem subministraret. Conuentione istiusmodi habitâ, lignorũ struem in fossa profunda occludit, igne supposito. Cum autem ignis superpositum aggerem inuaderet, accurrit Franciscus, & pedibus nudis flammas erumpentes retudit, donec vnus è Fratribus terram detulisset, qua hiatus oppleretur. Narrabo aliud factum. Quidam ex operarijs ficus furto sustulerat. Coniectabant pleriq; vnũ quempiam ex omnibus. Negabat ille acriter. At Franciscus tot repetitis mendacijs offensus, imperat ollam feruentem adferri, in quam nudus brachium primùm immisit, deinde Latomo, quem conjectabat furem, dixit, fili, si furti non es reus, polliceor, te diuina ope manum tuam ex aqua, quemadmodum ego ipse, educturum in tuæ innocentiæ experimentum. Verùm ille malè facti conscientiâ tactus, non est ausus eiusmodi periculum facere, maluitque furtiuum obsonium profiteri.

§. XII.

Per eundem Sanctum, in alendis mortalibus diuinæ potentiæ vis ostensa.

Idem author lib. 2. c. 1. Eod. lib. c. 4.

Maiora adhuc recensentur infra, quæ Paterni, in ciuitate Calabriæ, gesta sunt, dum altera fabrica, construeretur. E quibus sufficit ea, quæ huc spectant, apponere. *Quid memo-*

memorem? inquit author, *quoties suos operarios dapibus cœlestibus, & non alia ratione, quàm Angelorum ministerio comparatis, aut miraculo multiplicatis aluit? Sanè quidem processus ad canonizationem Neocastrensis meminit Angeli missi à Christo IESV ad S. Franciscum, vt deferret frustulum panis, & vini amphoram; quibus reficerentur conducti, ad ligna in quodã monte comparanda; operarij. Verùm quod in eo miraculo omnibus omnium oculis; & sensibus subjectum est, inuisibili Angelorum ope perpetratum credimus, in ijs, quæ subijciuntur exemplis. Nam primo omnium, ter mille viros, aut mulieres, qui Paternum visendi Thaumaturgi gratia confluxerant, vnico panis cophino, atq; vini amphora ad satietatem reficit: cùm tamen postea idem cophinus, eadémq; amphora intacta remanerent. Altera autem die, cùm quendam ex fabris ostendisset, proferens ficum vnã (quanquam alij restim ficuum dixerunt) infit: Putásne me tibi & socijs tuis, ex hac ficu partem aliquam dare posse? cui iste ratus id impoßibile factu, subridens: at mi Pater, inquit, si totam distribueris, quid tibi cedet? Respondit S. vir; gratia DEI, Charißime, quæ non deest inquirentibus eum toto mentis affectu. Igitur ficum istam viginti operarijs diuisit, cum ea singulorũ admi-*

àdmiratione, vt omnibus abundè satiatis, ficiis præ manibus superesset. Idem narratur de trecentis hominibus, qui operam nauabant aquæ ducti Conuentûs excauando, paucis ficubus ita refectis, vt superessent. Præterea viginti numero fabros lignarios, quos cædendis in silua lignis addixerat, vno pane, viniq; amphora, totam diem aluit, præter omnium expectationem, qui antequam è Conuentu migrarēt, conquesti fuerant, quòd parce nimium singulorum educationi prospectum fuisset. Ad hoc memorandum est, quod in litteris Vincentij Carafæ Comitis ad Leonē X. atq; alibi consignatum est, innumerabili hominum concursu confluente, è cophino panis intacto, & vini cado inexhausto omnes comedisse & bibisse. Erátq; istud miraculi genus valde familiare S. Patri Thaumaturgo: Nam de eodē vini dolio, a mense Aprili, ad mēsem Septembris, ab omnibus operarijs, & innumeris, qui Paternum confluebant, potatum est. Fabarum item parua mensura per multos menses non deficit, vinum, lactucæ, & frustulum panis multiplicantur, cistula pomorum oblata à paupercula ducentis hominibus ita diuisa est, vt singulis pomum vnum cederet. Deniq; in apparata mensa Guilielmo Oeconomo, & Præfecto domus Illustrißimæ D. Marchionissæ de Polixena, nec pi-

ſcis miraculo expiſcatus, nec panis, nec vinum à comedentibus minui viſa ſunt. Pluráq; alia ex actis ad canonizationem colligere eſt, quæ noſter ſcribendi ſtylus contrahit breuitatis deſiderio. Hæc de S. Franciſco Paulino.

§. XIII.

S. Felix vua miraculoſa reficiens, viciſsim ipſe, quàm ſit miraculosè refectus?

Aliquando autem Chriſtus, pane, aliquando vino; aliquando ſua manu, ſuos paſcit, aliquãdo aliena. Nota etiã in pueros eſt S. Othmari lagũcula. De S. Felice Nolano à Ribadeneira hæc memorantur. Poſtquã (ſicut olim D. Petrus ex Herodiano carcere) ab Angelo è vinculis eductus ad montem peruenit, in quo S. Maximus Nolæ, in Campania, Epiſcopus, vitatis perſecutoribus, fame confectus frigoréq; rigens in niuoſo ſolo jacens mortuo, quàm viuo, ſimilior, vix ſpirabat; illico ſuper eum ſe, Prophetæ inſtar, jaciens manus manibus, pedibúſq; pedes, & os ori compoſuit, vt rigentia membra calore pariter corporis foueret & charitatis. Tamdiu ita jacuit, donec & ipſe algeret: neq; tamen ſe aliquid proficere vidit. Itaque in preces & genua ſe erexit, Deúmq; incenſiſſima oratione etiam atque etiam rogitauit, vt extre- **Petr. Ribad. 14. Ianuarij.**

mè

mè affecto ſeni ſuccurreret. Vide mihi vim precum, & virtutem prouidentis Dei. *Nuncquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* dixit Chriſtus, naturæ indolem ingeniúmq; declarans. Atqui hic felix, pro Maximo, Deum precatus, de vicino rubo, pictiſſimè liuentem conſpexit pendere vuam: Eam igitur, quaſi demiſſum cœlo munus, carpens digitali prælo domuit expreſſúmq; ori ſenis muſtum inſtillauit. Quàm primùm ſemianimis Præſul ætherio depromptum cado falernum libauit, vímq; eius in venas admiſit, veluti à morte reuocatus, aut alto experrectus ſopore, cœpit grauatos diu oculos aperire, Numiniſque benignitatem rediuiua voce laudare. Nec minor fuit in ipsū etiam Felicem Numinis prouidentia. Siquidem poſtquam Nolam nouus AEneas Maximum, tanquam Patrem ſuum, incedere pedibus non valentem, humeris ſuſceptum reportauit, paulò poſt, noua orta eſt tempeſtas. Quærebatur tum ab Imperatoris milite Felix, tanquam caput Chriſtianorū; neque in medio foro agnoſcebatur, poſtquam ipſe de ſeipſo intterrogatus, dixit: *Sibi Felicem de facie notum non eſſe* (vſq; adeò nunquam in ſpeculo ſe viderat) eóque dicto

Matt. 7. 15.

ſeſe

ſeſe captantium è manibus ſubduxit. Vt etiam ex oculis ſeſe eorum ſubduceret, latebras circumſpexit. Prope erant parietinæ, ibi inter rudera ſeſe viuum cogitabat ſepelire. Inſtabat fugienti miles, qui intellexerat, eum ipſum eſſe Felicem, quî cum in foro fuerat collocutus. Inſtantem vbi vidit, inuocata diuina ope; non tam in latibulum, quàm in patentem locum intrauit. Cœleſti opus erat clypeo. Mox igitur adeò denſa aranearum tela diuinitus ei aſylo eſt prætexta; vt ſequi non poſſet crudelitas, quò ſe innocentia recepiſſet. Quis enim ſibi perſuaderet, opus tam citò creuiſſe aranearum? Pulcherrimè S. Paulinus ait:

Sic vbi Chriſtus adeſt nobis, & aranea muro eſt:
Aut cui Chriſtus abeſt, & murus aranea fiet.

Multi enim, intra firmiſſimarũ vrbium mœnia, non ſunt tuti: Felicem opera aranearũ & tenuiſſimæ telæ defenderunt; ſub quibus vtique ſecuriùs, quàm alij ſub Orci galea, Dei ſeruus latitauit. Felix vbi deluſos ſpe ſua venaticos canes animaduertit, ad Deum conuerſus, *Et ſi*, inquit, *ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; indéque*, vt S. Paulinus refert, *parietinas interiores ingreſſus, ſolidum* Pſal. 22. 4.

P illic

illic ſemeſtre delituit, nulli mortalium viſus cognitusúe. Gregorius Turonenſis, ait, eum toto trimeſtri inibi delituiſſe. At quis tam ſtrenuum militem, tam pium Presbyterum, toto illo temporis interuallo, aluit? Audi miram prouidentiam. In proximo habitabat mulier admodum addicta Deo, quæ Felicis ibi latitantis prorſus ignara, non ſecus, ac ſi conſcia foret, eodem, quo ſanctus erat, loco, (quem ſuum eſſe penum putabat) in exceſſu mentis, eſculanta vernis ſuis deſtinata, collocabat. Quódque mirabile erat, ſemper ponendorum eſculentorum memor, recipiendorum ſemper immemor fiebat. Ita totius ignara miraculi Felicis nutrix ignotum alumnum ſuſtentauit. Quē, ne potus deficeret, licet ſudum cœlum imbres ſuſpendiſſet, & ſolum ſiccitate aruiſſet; Deus, æthere lactante, refecit. Siquidem adeò vberem de cœlo rorem in veterem, quæ fortè, immo conſilio Altiſſimi, ponè aderat, teſtam depluit, vt omnem illo ſitis ardorem temperaret. Nemo de clypeo, nemo de cibo, nemo de potu ſolicitus ſit. Nouit Deus ſeruos ſuos aranearum telâ clypeare; nouit paſcere cibis in alium vſum præparatis, ſicut Danielem alterius

Gregor. Turonēſ. l.1. de mirac. cap. 104.

Pro-

Prophetæ messorúmque pulmento; nouit cœli rorem in nectar vertere; dummodo illius nos curæ permittamus, neque, contra præcepta eius, de rebus caducis, vsque ad desperationem, soliciti simus.

§. XIV.

S. Lydvvinæ liberalitas diuinâ liberalitate compensata.

Neque arbitrandum est, solis eam viris à Deo potestatem factam. Refert Ioan. Brugmannus, de S. Lydvvina virgine, quæ in comitatu Hollandiæ, oppido Schiedamensi, æquè mira egit, ac passa est, eam erga indigentes maximè fuisse liberalem, quos, si poterat, vel coctis, vel crudis juuabat cibis; si non poterat, benignitate verborum solabatur. *Nouerat pauperum nomina, & habitacula; & quamuis jaceret in tenebris, omnia intueri, omnia distinctè cognoscere videbatur, perinde ac si versaretur inter homines. In pauperum vsus jussit, hyeme, sale aspergi carnes, salitas, cum pisis coctas illis transmittebat. Contigit aliquando, vt cum vicinis diuidendæ vaccæ quarta pars ei cederet ad alendos pauperes. Ex ea cùm ministræ eius quandam portionem cum pisis coxissent, & triginta domibus inde ad saturitatem distribuissent, quidam ait Lydvvinæ:*

Ioann. Brugmã. & ex eo Surius tom. 7. 12. April. part. 2. cap. 2.

quemadmodum jußisti, triginta pauperum domibus de carnibus, & pisis tuis ad satietatem dedimus, & tamen nihil in olla diminutum videtur. E vestigio illa respondit: Non pro meis meritis, sed pro sua bonitate id fecit Deus. An non ille dixit, date, & dabitur vobis? Comederunt sanè ex illis carnibus domestici eius, comederunt aduentantes peregrini, omnes admiratione permoti, manum Domini adesse fatebantur, quæ olim viduæ farinulam conseruârat. Porrò etiam diuites, præ deuotione petebant interdum mitti sibi de buccellis virginis nostræ. Illos verò pauperes ante omnes secretò fouere & pascere studebat, quos ex opulentis nouerat ad inopiam redactos, & verecundia à petendis eleemosynis cohiberi. Mendicabat autem etiam ipsa, si deessent carnes, quibus inopes reficeret. Orauit quandoq; virum pium, vt si haberet armum porci coctum, mitteret sibi pauperibus impertiendum. Fecit ille, & mox sensit quàm sit grata Deo manus porrecta ad dandum. Vt enim ipse fassus est, cùm paulò pòst conjecisset oculos eò, vnde tulerat armum, vidit alium longè maiorem suspensum. Sciscitatur ex familia, num quis eum suspenderit. Negant omnes: agnoscit donum Dei, fit erga virginem nostram deuotior, fit in pauperes liberalior. Mulier quædam caduco labo-

rans

rans morbo, sæpè in plateis corruebat. Accidit autem, vt magno spiritus angore correpta in domunculam Lydvvinæ intraret, potúmque sibi dari posceret. Lydvvina tum nihil cogitans de exiguo vino, quod supererat, cùm sola esset, aquam monstrauit fœminæ, quodam vasculo contentam. Illa totam exhausit, sed sitis extincta non est. Ardet misera, plúsque sibi dari petit. Tum Lydvvina recordata vini, digito ostendit; atque illa totum bibit: rursúsque instat pro potu. Sed cùm nihil liquoris haberet virgo, dedit ei nummum quendam, vt illo sibi potum emeret; quem illa hilariter accipiens, abscessit. Deinde febribus Lydvvinam corripientibus, orat patrẽ, vt pauxillum vini porrigat, quo labia arentia tingantur; non enim meminit tunc fœminam morbidam vinum omne epotasse. Porrigit pater poculum filiæ, vnde illa mulier biberat; & ecce, plenum est optimo vino, diuinitûs in illud infuso. Stupet virgo, sentiens nullum se melius bibisse vinum, nec tamen patri indicat, vnde sit, licet & ille stupens admiraretur, neque colorem, neque saporem eius vnquam perire. Tandem cum in vasculo, longo tempore, durasset, cuiusdam fœminæ incuria effusum est. Per id tempus adhuc parcissimè vino vtebatur Lydvvina: itaque doluit illud effusum, quòd nunquam habuisset sibi

accommodatius vinum. Cùm enim alia vina ſine aquæ admixtione bibere non poſſet, hoc ſolũ purum bibit. Obſeruet hic lector humanitatem ſanctæ Virginis, quæ è ſuo poculo juſſit fœminam morbo comitiali vexatam bibere. Cùm frater eius VVilhelmus exceſſiſſet è viuis, multo ære alieno obſtrictus, filij eius in magnam inciderunt calamitatem, quam humanitus euadere vix poſſent. Tũ Lydvvina illorum miſerta, quædam clinodia ſua diſtraxit octo libris eius regionis. Dedit autem negotium Nicolao cognato ſuo, vt is è crumena, in quam nummos omnes condiderat, ſatisfaceret creditoribus. Fecit ille, vt juſſus erat, & cùm omnibus eſſet factum ſatis, quod reliquum fuit pecuniæ in crumena, ter coram Lydvvina numeratum eſt, & tantundem inuentũ eſt, quantum illa primò impoſuerat. Illa verò prohibuit, ne cuiquam id indicaretur, crumenámq; illam Domini IESV voluit crumenã deinceps appellari. Atq; ex illa & ipſa expendebat in pauperes æs liberaliter, & Dominus IESVS abundè infundebat. Quibuſdam ſpecialibus amicis aliquando ex ea percunctantibus, quantum ex illa crumena poſt obitum fratris ſui VVilhelmi diſtribuiſſet, ſic reſpondit: Quandoquidem video non latere vos donum Dei, pro certo confirmo, me de illis octo libris plus quàm qua-

quadraginta libras in pauperes erogâsse, præter eas, quibus dissolui æs alienum fratris mei. Sex annis ante obitum virginis multis modis ex ea pecunia datum est pauperibus, & illa rursus diuinitus aucta. Post deceßum virginis, dimidia pars pecuniæ in eadē crumena reperta est. Quidam etiam eius aurei nummi coram tribus fide dignis viris numerati, illis stupentibus, visibiliter aucti fuêre.

§. XV.

In mari nauigantibus aqua dulcis suppeditata.

Vt famelicis prouidet, sic sitientibus clamat Deus: *Omnes sitientes venite ad aquas,* Isai. 55. 1. Nam & è petra eijcere aquas ictu virgæ potest; (& è nubibus, panem in cibum, imbrem in potum præcipitare. Audite veritatis simplicitatem. *Abbas Gregorius Anachoreta narrauit nobis dicens: Cùm ex Byzantio descenderem, ingressus sum nauim. Intrauit autem & Scriba quidam, cum vxore suâ, profecturus ad sanctam ciuitatem, orationis causâ. Erat autem Nauclerus religiosus valde, multúmque jeiunans. Cùm ergò nauigaremus, scribæ serui frustra consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua; eramúsque in magnâ tristitiâ. Et erat miserabile* Pratum spirituale Moschi Euirati cap. 174.

 spe-

ſpectaculum, videre mulieres & pueros, & infantes ſiti areſcentes, & velut mortuos jacentes. Cùm ergo dies tres in hac neceſsitate fuiſſemus, ſcriba ipſe tribulationem non ſuſtinens, educto gladio, & nautas, & Nauclerum volebat occidere. Dicebat enim: hi ſunt noſtræ perditionis authores, quia non ſumpſerunt aquam ad ſufficientiam. Ego autem orabam ſcribam dicens: noli hoc facere, ſed magis deprecemur Dominũ noſtrum IESVM verum Deum, qui facit magna, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Ecce enim & Nauclerus, vt vides, tertium hunc agit diem, jeiunio, & orationi vacans. Cúmq; acquieuiſſet ſcriba, quartâ die, circa ſextam horam ſurgens Nauclerus, clamauit voce magna dicens: Gloria tibi, Chriſte Deus noſter: ita vt omnes mirarentur in voce ipſius. Dixitq; nautis: ſubmittite membranas. Et cùm explicuiſſent eas, ecce nubes ſupra nauem veniẽs, tantum pluit aquæ, donec impleuerunt vaſa ad neceſsitudinem noſtram. Erat autem miraculũ grande & terribile, quòd, velificante naue, nubes illa conſequeretur nos, & extra nauem nõ plueret. Sic extra vellus olim ros non cecidit, vt appareret, deſtinatò cecidiſſe. Impleta eſt igitur promiſſio illa: *Effundam aquas ſuper ſitientem.* Quòd, ſi cui fortè nubes non ſuffi-

Iudic. 6. 38.
Iſa. 44. 3.

cit,

cit, audiat, tota maria dulcedinem induisse, vt seruis Dei in potum cederent. *Anachoreta quidā erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus Eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est Constantinopolim pergere, ingressúsq; est in nauim. Cùm verò nauis diutiùs detineretur in pelago, defecit aqua, erantq; nautæ, & vectores in magnâ anxietate & desperatione. Surgens autem Anachoreta & expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, factâ oratione, signauit mare signo crucis, & ait nautis: Benedictus Dominus, haurite, quantum aquæ opus habetis. Impleuerúntq; omnia vasa sua de mari aquâ dulci. Et omnes glorificauerunt Deum.* Qui vtique reduxit prodigiū Moysis aquis Mara amaritudinem adimentis. Glorificantes autem Deum compellare se meritò potuerunt illis verbis: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius.*

Moschus Euiratns in Prato Spirit. c. 173.

Exod. 15. 13.

Isa. 12. 3.

§. XVI.

Mirabiles naturæ, aut Dei fontes.

Quid quòd Deus, ipsius naturæ ingenio, sicut pluit super justos & injustos, ita alicubi pijs pariter ac impijs prodigiosissimos fon-

tes ſinit pereñare, quibus ſitim reſtinguant? Quippe *inſulæ cuidam Canaricæ, quæ FERRI dicitur, omni aqua dulci deſtitutæ ſubuenit diuina Prouidentia arboris cuiuſdam præſidio; cuius ea natura eſt, vt aßiduè inſtar fontis, dulci humore ſtillet, qui hominibus & pecoribus ad potũ ſufficiat.* Nimirum omnia vbique ſubſunt Deo; ſi vult, ex ipſis ignibus poteſt aquam producere, ex aquis ignes.

Leon. Leſſius lib. 1. de Prouer. Num. rat. 5.

Quis quærat in arbore nectar?

Sed Deus ibi poteſt reperire. Sicut fit, apud Sinas, vbi ex arborum folijs vina dulciſſima exprimuntur. Dummodo nos Deum timeamus, *Non eſt inopia timentibus eum.* Poteſt è maxilla, immo è dente fontem prolicere, vnde Samſones bibant ad ſatietatem; immo & ad voluptatem. Nam *&* illa aqua, quæ, ad virgæ ictum, immo nutũ, de petra, ſaxóq; duriſſimo, proſilijt, olei, & mellis dulcedinem præbuit guſtantibus. Ita olim populum ſuum *conſtituit ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleúmq; de ſaxo durißimo.* Nempe, qui in Nuptijs, ex aqua vinum optimum fecit, facere etiam poteſt, vt ipſa aqua mellis guſtum adipiſcatur. Cum filijs Belial, cum noctes diéſque pergræcantibus Apicijs,

Pſal. 24. 14.

Iudic. 13. 15.

Deut. 32. 13.

cijs, cum ſagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non ſua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in abſynthium vertatur, & ſit *de vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amariſsimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Amara enim conſcientia, etiam ex Maſſico, aut Maronæo vino abſynthiacum producit; vt etiam hîc congruat, quod de graphio Sympoſius Poëta dicit: Deut. 32. 32.

Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit. Sympoſ. in Ænigm.

CAPVT. X.

Aliunde deſertis Dei ſeruis, etiam delicias apponi.

§. I.

Quæ à Deo ſunt, ſuauiora ſunt.

NOn Chriſto tantùm, in deſerto, Angeli miniſtrarunt, ſed etiam ipſe Chriſtus Angelis, hoc eſt, hominibus in deſerto, more Angelorum, viuentibus. Pauit enim quinq; panibus quinq; virorum millia; immò plura poſtea millia Eremitarum. Neque tamen putandum eſt, eos, quos etiam miraculosè ſuſtentat diuina prouidentia, aut ſolo pane hordeaceo, aut

ſine

ſine dulciſſima jucunditate ſemper ſuſtentari. Sicut Chriſtus, præter panes, etiam piſces appoſuit ſuis conuiuis, in deſerto; ita ſubinde etiam alijs ſanctis delicias fugientibus delicias facit. Docet enim Ferrarienſis, ea, quæ à Deo fiunt immediatè, perfectiora eſſe his, quæ fiunt à Deo, mediante natura. Sicut ergo olim manna omnem ſuauitatem ſaporis continebat, quod nulli naturali cibo contigit; ita vinum in Nuptijs à Chriſto ex aqua factum, fuit præſtantius quouis vino naturali. Pari pacto tradit Ferrarienſis, panem in deſerto, piſcéſque Chriſti poteſtate multiplicatos, longè fuiſſe guſtus delicatioris, nobilioríſque, & habuiſſe vim cibi pariter & potus. Quod poſtea ſæpius contigiſſe, vt dulcedinem Dei guſtarent homines, exemplis docebo delicatos; vt ne iſtam quidē habeant aduerſus Deum excuſationem, &, quia guſtum ſequuntur, vel dulcedine trahantur. Hoc enim hamo vſus eſt etiam ille qui dixit: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Quod ideò dicit*, ait Emiſſenus, *quia amor Dei, quantolibet ardore quæſitus, etiam magis ac magis ſitim inflammat. Vnde & de ſeipſo dicit: Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Guſtent ergo, vt vide-

Pſal. 33. 9.
Serm. de Epiphan.

videant ſuauitatem; edant, vt eſuriant; bibant, vt ſitiant fontem ſalientem in vitam æternam; quicunque ſuauitatem ſequũtur.

§. II.

Ficus Eremitæ, ac vuæ ab Angelo allatæ.

Apud Palladium Helenopolitanum Epiſcopum, Poſidonius Thebanus hæc ipſe de ſe narrat: *Cùm habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui ſermocinationem, non panem tetigi, niſi ſi quando paucis vterer dactylis, & ſicubi herbas inuenirem agreſtes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defeciſſent, egreſſus ſum è ſpelunca, vt venirem in orbem terræ habitabilem, & cum toto die ambulaſſem, vix aberam à ſpelunca duo millia. Cum ergo circumſpexiſſem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam tiariferam: & cum conjectaſſem, eum eſſe militem, profectus ſum vſq; ad ſpeluncam, & inueni caniſtrum vuarum, & ficuum nuper decerptarum: quod cum accepiſſem, lætus rediui ad ſpeluncam, habens, duobus menſibus, cibos illos ad meam refectionem.* En vt etiam obſonijs ſuos recreat cœleſtis Pater! Ficus in paradiſo, ad delicias creauerat (quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes conſuerunt,

Palladius cap. 77. hiſt. Lauſiacæ.

runt, vt facerent *sibi perizomata*) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in eremum. Post diluuium, Noë cœpit exercere terram, *& plantauit vineam*; vt vinum biberet cum jucunditate; en sine vinea vuas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit vltra facere, etiam illecebris Deus homines allicit ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vuas etiam aues aduolarunt; ad veras vuas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.

§. III.

Panis, oliuæ, poma, herbæ dulces seruis Dei diuinitus ministrata.

Ruffin. lib. 2. c. 11. Pallad. 59.

Abbas Hellen, de quo Ruffinus ac Palladius meminit, idem expertus est. *Cùm enim aliquando panes ei defecissent, in spelunca, Angelus, in figura fratris eius, attulit nutrimentũ. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die, jejuni permanentes. Cùm verò eos inuenisset, jussit in spelunca refici; illi verò eum victus admonuerunt. Ille, qui nihil habebat, quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens, pontone, ipsis orantibus, pulsauit*

sauit fores. Cùm autem aperuissent, viderunt adolescentem habentem magnam sportam panis & oliuarum. Iis autem susceptis, comederunt, Deo agentes gratias; cùm adolescens statim euanuisset. Vides, præter panem, oliuas? Vis adhuc aliquid dulcius? Audi eundem Palladium, de eodem Hellene. *Abijt in desertum, atq; ibi, tanquam pro concupiscentia carnis punienda, jeiunijs semetipsum cæpit affligere. Tertia autem septimana jeiunij sui, vidit in deserto jacere diuersa poma sparsa: & intelligens dolos inimici, ait: Non manducabo, neq; contingam, ne fratrem meum, hoc est, animam meam scandalizem. Scriptum est enim, quia non in cibo solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Cúmq; & sequenti septimana jeiunaret, paululũ in somno deductus est, & ecce Angelus Domini astitit ei, per visum, dicens: Surge iam, & quæ tibi apposita inueneris, nihil dubitans vescere. Surgens autem, vidit aquæ fontem lenibus repletum fluentis, eiúsq; ripas in circuitu herbis quibusdam teneris odoratisque prætextas. Et accedens decerpere cæpit, & edere, similiter & ex fonte poculum sumere. Confirmabat autem, se nunquam in omni vita sua tantæ dulcedinis aliquid, & tantæ suauitatis habuisse. Inuenit autem in ipso loco etiam spe-* Ibid.

luncam

luncam quandam, intra quam aliquamdiu quieuit. Et cum reficiendi corpusculi tempus & necessitas adfuisset, per Dei nihilominus gratiã nihil deerat eorum, quæ poscebat à Domino. Quid iam volumus ampliùs? pascit suos Deus; & nectare atque ambrosia pascit, si necesse est. Quid alibi delicias quærimus? quæramus ibi, vbi est *torrens voluptatis*. Vna ex hoc torrente gutta, totis fluuijs Mundi antecellit.

§. IV.

Mannæ suauitas.

Sap. 16. 20. De Israëlitis ait Scriptura: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusq; volũtati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur.* Itaque manna illud, mellis in aliorum palato, piperis in aliorũ, in aliorum piscis, in aliorum carnis, in aliorum melopeponis, aut alterius suauissimi fructus saporem efficiebat. Renouatum est hoc miraculum non semel tantùm, apud Christianos; Deo suis prouidente, & tanquam paruulis lac aut melimela dante.

Nam

Nam pueris melimela damus; & crustula; elementa velint vt discere prima. Horat. lib 1. Sat. 5.

§. V.

Eremitæ, in miraculoso pane, suum meritum, & peccatum ostenditur.

Dulcissimi eiuscemodi panis & accepti, & perditi meminit etiam, apud vetustissimum authorem Palladium, in Lausiaca historia, Ioannes Thebaidis clarissimus illustrator; his verbis: *Fuit quidam monachus*, (imitatione Christi, ad jeiunandum, in desertum secedentis) *qui in eremo hac, quæ præ ceteris interior est, habitabat. Hic dum plures annos in abstinentia perdurâsset, & prouectus tempore, prope iam ad senilem venisset ætatem, omni virtutum flore adornatus, ac totius continentiæ magnitudine sublimatus: cum orationibus & hymnis sedulò Deo seruiret, tanquã emerito militi suo Dominus remunerationes parat, vtpote qui in corpore adhuc positus, ad instar Angelorum incorporeæ vitæ fungeretur officijs, & dignum judicans annonam cœlestem præbere in deserto ei, qui cœlestem Regem peruigilibus præstolabatur excubijs.* Quod & Christo factum est, cui, postquam 40. dies jeiunauit, Angeli cibos, vtique esurienti, ministrauerunt. *Volens ergo Deus*, qui olim, in

Pallad. c. 46. & seq. in Lusiac. hist. qui vixit An. 390. tempore S. Hieronymi, quem etiam citat Epiphan. ep. ad Ioan. Hierosolymitanum.

Matth. 4.

deserto Israëlitis è nubibus, Eliæ, per coruum, panem suppeditauit, *etiam in hoc sæculo remunerare eius Monachi fidele propositũ, ad prouidentiæ suæ sollicitudinem quotidiani victûs eius reuocat curam. Vt enim ei cibi vsum præposuisset naturæ necessitas, ingrediens speluncam suam inueniebat mensæ panem superpositum, miræ suauitatis*, omnes mundi delicias superantis, *mirique candoris: ex quo refectus*, non *surrexit ludere*, non saltare & choreas ducere, non poposcit fritillos; sed, in exemplum eorum, qui saturati & saturandi Deum laudant, *gratias diuinæ præstantiæ referens, rursus ad hymnos & orationes conuertebatur. Ad quem diuinæ etiam reuelationes, multæque, de futuris rebus, à Deo præmonitiones fiebant.* Quàm benè monuit Apostolus: *Qui stat, videat, ne cadat?* Siquidem etiã sanctissimi viri nonnulli, diabolo tentante, ceciderunt. Quod etiam huic eremicolæ accidit. *In his enim talibus & tantis profectibus positus, quia sibi placere ac gloriari quasi de meritis suis cœpit, & cœlestis beneficij munus, vitæ suæ debitum duxit*, laxatæ sunt tentatori habenæ. Qui, vt mille artifex, quasi tenui terebra, initio paruum, ac sensim maius foramen facturus, ab exiguis censuit ordiendum.

1. Cor. 10. 12.

endum. Itaque *continuò ſubintrat eum parua quædam deſidia animi, tam parua, quam nec poſſet aduertere. Poſt hæc* (vt ſenſim & per gradus iretur) *creuit maior negligentia, ita vt tardior iam fieret ad hymnos, ſed & ad orationem pigriùs ſurgeret, Pſalmi quoq; ipſi non eâ, quâ priùs, vigilantiâ ab ipſo canerentur, ſed vbi parum quid exhibitum fuiſſet ſoliti miniſterij, anima eius quaſi nimio labore fatigata, requieſcere feſtinabat: quia ſenſus eius reprobus effectus, de ſublimioribus ad inferiora ceciderat, & cogitationes ſuæ per diuerſa eum præcipitia rapiebant. Erat enim iam in corde eius clandeſtina quædam, turpis ac nefanda cogitatio, conſuetudo tamen prior; velut ſi decurſus aquæ, etiam ceſſante remigio, adhuc priori impetu nauigium ferat, ita & vetus inſtitutio ad conſueta hominem officia trahebat. Ob quam cauſſam & ſtare adhuc in ſuo ſtatu videbatur. Hic ergo, cum poſt orationes cibum ſolitò requiſiſſet ad veſperam, ingreſſus locum eum; in quo refici conſueuerat, inuenit ſolitò panem menſæ ſuperpoſitum, ex quo refectus; nihil eorum, quæ in corde ſuo verſabantur, emendatione curauit, neq; immutationis ſuæ damna perſenſit, ſed ſpernentem ſe minima; paulatim caſurum non intellexit. Interea, cum graui iam libidinis incen-*

dio stimularetur, & inflammatus turpi concupiscentiâ raperetur rursus ad sæculum, illâ interim die cohibuit se, & solita hymnorum & orationum ministeria ex more persoluit, atque ingressus vt cibum sumeret, panem quidem inuenit mensæ superpositum, sed aliquanto sordidiorem; admiratus est, & tristis effectus: intellexit enim quòd ipsum respiceret, hoc genus monstri; tamen cibo sumpto refectus est. Post diem tertium triplicatis vrgeri stimulis cœpit: occupauerat enim cogitationes eius qasi iam præsentis, & secum positæ, secúmque accumbentis imago mulieris, quam complecti sibi videbatur, & ad turpes vsus habere substratam. Processit tamen & sequenti die ad solita psallendi & orandi officia, sed stabat oculis, & mente captiuus. Cúmq; solitò ingressus ad Vesperam requireret cibum; panem quidem inuenit super mensam, sed sordidissimum ac aridissimum; & quasi à muribus vel canibus vndiq; corrosum. Tunc ille vt hoc vidit, ingemuit, & lacrymas fudit, sed non ita ex corde, nec ita vberes, quæ possent flammam tanti ignis extinguere. Veruntamen sumit cibum, sed neq; quantum volebat, neq; qualem solebat: cum interim cogitationes eum, tanquam cohors barbarica, vndiq; circumuallant, & omni ex parte in eum tela jaculantur, ac

vinctum

vinctum captiuúmq; eum ad sæculum retrahunt. Exurgens ergo, cœpit iter agere noctu, per eremum, & tendere ad ciuitatem: sed vbi dies facta est, ciuitas quidem longè adhuc aberat. Ipse verò, cum rapidißimo æstu coqueretur, & fatigaretur in eremo vndiq; versus, considerare oculis cœpit, & requirere, sicubi esset in vicino monasterium: & cum conspexisset fratrum quorundam cellulam, tendebat illuc, vt apud eos requiesceret. Quem vbi adesse senserunt serui Dei, continuò procurrunt in obuiam, & velut Angelum DEI excipientes adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, mensam ponunt, atq; omnia secundùm diuinum mandatũ complent charitatis officia. Verùm vbi refectus est, & paululum requieuit, ex more quasi eruditissimo & opinatißimo patre cœperunt verbum ædificationis expetere, ac monita salutis inquirere. Interrogauerunt quoque eum, quomodo quis diaboli laqueos poßit effugere, aut si quando turpes injecerit animo cogitationes, quomodo depelli poßint & abyci? Tum ille, vt compulsus est monita fratribus dare, & salutis eos viam docere; ac de insidijs dæmonum (quas seruis Dei intendunt) facere sermonem, illos quidem plenè & sufficienter edocuit, sibi verò ipsi stimulos compunctionis incendit, & in semetipsum

 regres-

regressus ait: Quomodo ego alios moneo, & ipse decipior? aut quomodo alios corrigo, qui meipsum non emendo? Age ergo, miser, facito ipse prior, quæ facere alios doces. Cúmq; huiusmodi increpationibus vteretur aduersus semetipsum, & intellexisset, se miserabiliter supplantatum, valedicens fratribus, continuò se rapidißimo cursu in eremum dedit, & ad speluncam, de quâ discesserat, rediјt: prosternens se Domino in oratione, dicens: Nisi Dominus adjuuisset me, paulo minùs habitâsset in inferno anima mea. Et iterum. Paulò minùs fui in omni malo; & paulò minùs consummauerunt me, In terra. In hoc verò completum est, quod ait Scriptura: Frater fratrem adjuuans exaltabitur, vt ciuitas munita & fortis. Frater qui adjuuat fratrem, quasi ciuitas firma, & judicia quasi vectes vrbium. Post hæc ergo permansit omni vitâ suâ in luctu & lacrymis, videns diuinitus sibi concessum cœlestis mensæ beneficium perdidisse: cœpit enim in laboro rursus & sudore vultus sui manducare panem suum. Conclusit autem se intra speluncam, atq; in cilicio & cinere jacens, tamdiu lugens flensq; permansit in orationibus, donec aßistens ei Angelus Domini, diceret ei: Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & repropitiatus est tibi: sed caue, ne vltra elatus de-

tus decipiaris. Venient autem ad te fratres, quos tu ipse docuisti, deferentes tibi benedictiones, quas suscipere ne recuses, & sumens cum eis cibum, age gratias Deo tuo.

§. VI.

Quàm noxia sit securitas putantium, se à tentatione securos?

Multorum fructuum hortus est hoc exemplum. Ex eo decerpi potest cognosciq; primò, cura Dei, qua, in deserto, desertos alit. Secundò Dei delicatus amor, delicatissimo pane suos alentis, & velut manna dantis, juxta illud Psal. 67. *Parasti in dulcedine tua, pauperi Deus.* Tertiò ministerium Angelorum, qui, in solitudine, non Christo solùm, sed etiam seruis Christi ministrauerũt. Quartò, infelicitas, vt ita dicam, magnæ felicitatis, in nimiam non rarò securitatem inducentis. Supra dictus enim Eremita securitate periclitatus, & felicitate miser factus est, & cœpit demereri, ipsorum meritorum occasione. Quintò, humani ingenij virtutísque inconstantia: nam de virtute superbus, virtutem amisit; meruítq; cadere, vt humiliaretur, qui stando superbiuit: denique in turpia lapsus est, qui vescebatur pane Angelorum, Quo exemplo meritò

multi mortales deberent fieri cautiores. Si cadit, qui mundum fugit; quomodo stabit, qui mundum ambit? Si peccat in eremo, ab omni hominum illecebra remotus; quid fiet illi, qui in medijs turbis jactatur? Si labitur, qui in intimis solitudinibus se abscondit, vt declinet labendi occasionem; quid ei continget, qui præcipitia vltro adit? Si vincitur à Venere, tam abstinens; quid sperare potest, qui se quotidie ingurgitat vino, in quo est luxuria? Si non extinguit ignem impurum aqua; an non magis jungentur vinum & Venus? Sternitur sobrietas; & ebrietas firma consistet? Decipitur Eremita tam diu multúmque exercitatus; quid fraudis non patietur, qui vix scit duos fidei articulos, in negotio spirituali prorsus peregrinus? Fædatur, in quo omnis virtus fuit; quò non impelletur omni flagitio coopertus? Vir tantæ orationis intrat in tentationem; quibus modis tentabitur turpiloquus, detractor, blasphemus? Desertor factus est, qui quotidie manducauit panem Angelorum; quàm constans erit, qui quotidie vel cum diabolis, vel cum hominibus diabolo deterioribus versatur? Illum superbia & libido rapuit, cui Deus arcana cœlestia ac res futuras

futuras reuelauit; an parcet ei, cui omnes turpitudines instillantur? Nempe hæc est mortalium pernicies, securi sunt, nec solicitè ambulant, cum in medio tentationum periclitantur. Maxima pars hominum putat se non tentari; cum nemo sit, qui non tentetur. Tentati sunt, in statu innocentiæ, primi parentes. Tentatus est castissimus Ioseph. Tentatus est Dauid. Tentatus Salomon. Tentati Petrus, Iudas, & omnes Apostoli: omnes Eremitæ: omnes Religiosi: ipse Christus: & est, qui se à tentatione judicet immunem? Falleris, ô miser. *Tentatio est vita hominis super terram.* Omni momento tentatur. *Sicut leo rugiens circumit* tentator. Sed ita subtilis est, vt laqueum abscondat; ita callidus, vt fraudem astu colat: &, vt, qui diu in aquis versantur, non sentiunt se esse madidos, ita qui maximè tentantur, nesciunt, quid sit tentari. Tentari, ô infelices, est ad peccatum allici. Cur toties delinquitis, si non allicimini ad peccandum? cur jussi estis orare: *Et ne nos inducas in tentationem*, si nulla est tentatio? Hostis, vbicunque potest, nocet; & hostis infernalis parcet? Quin neque vnus tantùm, sed sæpe mille tentant. Vnde quidam interrogatus, quod illi nomen

Gen. 39.
3. Reg. 11.
Matth. 11.
Marc. 5. 9.

men esset, dixit, se vocari *Legionem*. Ita totis legionibus quidam ad superbiam, auaritiam tentati, adhuc se à tentatione liberos arbitrantur. Sextò, Dei leuiter sensimq; monentis; & corrigentis magis, quàm punientis clementia. Neq; enim panem illico subduxit negligenti, sed minuit, sed minùs condiuit. Septimò, vis diuinorum colloquiorum, paternúsq; Dei erga filios prodigos ad frugem redeuntes animus. Vbi enim suamet exhortatione motus est desertor, vbi ad pœnitentiam ac cellam se recepit, iterum eum diuina bonitas suscepit, & nutriuit, sed iam pane mortali manu confecto, ne diuino prodigio iterum ad insolentiam abuteretur.

§. VII.

Vitæ religiosæ suauitas, acquisita, vel perdita.

Septimò, in hac etiam historia, tanquam in viua quadam imagine, sese intuentur Religiosi, qui, quia corporis sui curam negligunt, merentur curam Dei. An non enim liberirmè vacant studijs & orationi? an non, dum illis nulla culinæ cogitatio, ne dum cura est, mensam paratam inueniunt? Addo, illis summam esse in pane & cibo suauitatem;

tem; vt non ficta pietate, ſed veriſſimo teſtimonio profiteri poſſint, plus ſibi frugales domi dapes ſapere, quàm ſi ſplendidiſſimis Principum epulis adhibeantur. Accedunt ſuauiſſimæ illuſtrationes mentis, & dulciſſimi motus animorum; ſpes certa futuræ retributionis; mirifica vitæ ſecuritas, *quaſi iuge conuiuium*. Hæc omnia illi habent: ſed multi, ſua culpa, vel minuunt, vel penitus amittunt; dum dormire largiùs, orare parciùs, ingurgitare ſe cibis ac potu intemperantiùs, deſerere conſueta virtutum exercitia, fugere ſolitudinem, quærere humana ſolatia, ſectari alloquia, amare conuenticula; aucupari noua, frequentare profanorũ conuentus, amare conuiuia, adire aulas incipiunt. Quantò enim magis dominatur caro, tantò minùs ſpiritus poteſt emergere; &, ſicut qui vili olere repleuit famelicũ ventrem, neque ficedulis, neque phaſianis aut ſaccharo poteſt delectari, cum locus, in ſacculo non ſuperſit comedendis melioribꝰ; ita qui mundi ſiliquis ſe diſtendit, non eſt capax cœleſtis dulcedinis. Ad Deum, atque ad ſe redeat, qui vult redire ad diuinas voluptates; aut ſe dignum efficere epulis Angelica manu aut miſſis, aut paratis: vt dicere

poſſit:

Psal. 67. 11. Iosue 5. 12. possit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* De filijs Israël dicitur: *& comederunt de frugibus terræ.* Quid sequitur? *Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltra cibo illo filij Israël, sed comederũt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.* Sic contingit filijs Dei: manna habent, sed manna subducitur, quando, cœlestibus neglectis, ad terrena gaudia conuertũtur. Nec enim diuina delectatione dignus est, qui præponit humanam.

CAPVT. XI.

Alia diuinæ, erga Dei seruos, dulcedinis exempla.

§. I.

Varij modi, quibus Deus homines alit.

NEmo queratur de suis temporibus, neque præferat nostro æuo sæcula antiquiora, quasi iam minùs dulcis sit Deus, aut non ita beneficus, sed benefaciendo fatigatus. Adhuc idem est Numen, quod fuit semper; adhuc, sicut omni æuo, Mundum gubernat. Primùm terræ; hortorum; arborum; agrorum fructibus; deinde piscibus aquarum; tum etiam auibus, per aërem, aduolantibus, denique feris

dome-

domeſticiſque animalibus alit homines; & quoſdam quidem otioſos, quibus quodammodo victum *tellus inarata* gignit; alios autem manuum labore ac *ſudore vultus* panem vult comparare. Alijs, per amicos, & beneficos, alijs, per piorum liberalitatem mittit eſcas. Non rarò, per Angelos, eos, qui Angelicam vitam inſtituerunt, aut cibis, aut non viſibili alimento; alit.

§. II.

Nicolai Heluetij victus.

In pueros notum eſt; quid Nicolao Heluetio, propè noſtris temporibus, factum ſit. Omnis illi cibus, omnis guſtus erat SS. Euchariſtia. Nihil eſculenti, per tot annos, ſumebat; nihil quod vel alere, ne dum delectare palatum poſſet. Pro nectare & ambroſia fuit illi Chriſtus. Sed, quia vita illius à P. Petro Hugone noſtro copioſè deſcripta, in manibus eſt, nolo hîc paginas implere. Satis eſt, monere, nihil delicatius, dulcius, exquiſitiúſue à Deo homini dari potuiſſe, quàm filij ſui, in Euchariſtia, corpus, quod quò ſæpius dignè, eò etiam ſuauiùs manducatur; neque nauſeatur, niſi à ſtomacho vitioſo, & mel, tanquam fel, reſpuente. **Petr. Hugo in vita eius.**

§. III.

§. III.

SS. Eucharistiæ percepta mira dulcedo.

Fœminam cibis humanis pastam, sed diuinis prodigiosè recreatam, sic fide dignus author recenset: *Noui quandam sanctimonialem ordinis nostri, quæ illam à Domino accepit gratiam, vt quando communicat, tantam ex ipso sacro corpore dulcedinem sentiat; ac si mel reciperet. Non saporem panis, sed mellis, vt dixi, in masticatione, sentit, tota illa die: maximè ante perceptionem cibi corporalis, saliuam habens mellifluam. Nec mirum, legitur enim de manna, quòd gustus eius fuerit quasi similæ, cum melle.* Pergit paulò post author: *Similem gratiam, & fortè maiorem, audiui collatam fuisse dominæ Alheydi primæ Abbatissæ monasterij ciuitatis VVestualiæ. Hæc, quotiescunque corpus Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neque panis saporem inter fauces sensit, sed ipsum Sacramentum, quasi fauus mellis, sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit; sic, vt mira suauitate omnia eius interiora replerentur. Quando defuncta est, dominus Florentius Abbas de Campo S. Mariæ; qui pater eius fuerat spiritualis atque confessor, post sepulturam eius, omnibus, qui confluxerant, eandem gratiam prædicauit.* Subijcit

Cæsarius Heisterb. l. 9. c. 39.

Ibid. c. 40.

cit his Apollonius: *Si de cadauere leonis egressa est dulcedo, non miror, si de corpore Christi, qui est leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur.* Et planè non sine caussa dicitur: *Fauus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Hanc enim dulcedinem, in Sacramento, efficiebat ardor charitatis. Dulcis enim est amor, & omnia facit amanti dulcia; quemadmodum vana amanti amarissimum est Eucharistiæ manna degustare, debet enim alia relinquere, quæ illi, tanquam exsurdato palato, videntur dulciora. Monendi tamen mihi, hîc, sunt simplices, ne putent se sensibilem, in sumendo sacro hoc ferculo, experiri debere dulcedinem. Spiritualis cibus est, & spiritualis dulcedo, hoc est, charitas in eo, coniunctióque cum Deo quærenda est; quam vtique significat dulcedo illa, quæ ore percipitur à nonnullis, nec appetenda, si deest; nec, nisi cum magna humilitate, si adest, acceptanda. Solet enim Deus, etiam per corporum sensus, subinde animas refocillare: quam ob caussam manna de cœlo misit Israëlitis.

Iudic. 14. Apoc. 5. Cant. 4. 11.

§. IV.

Christus hordeaceum panem vulneri intinctum reddit suauem.

Hoc

Hoc pacto, in D. Francisci vita legimus, Angelum, vnius chordæ vel tractu, vel tactu, cor Francisci ita tetigisse, vt omnis molestiæ, quam patiebatur, obliuisceretur. Hoc pacto egit cum Clerico illo, qui ad claram vallem venit, vt, relictis seculi curis, Deo soli famularetur. Is, quia corpus antea delicatè habere assueuerat, à communi fratrum pane pisisq; vehementer abhorrebat. Duo igitur metuebat æquè, famem scilicet, &, famis medicinam, refectionem. Nocte ergo quadam, cura propemodum tabescenti, Mundi Reparator Christus comparuit manu tenens frustum eiuscemodi panis, quo ceteri solebant vesci Religiosi. Hoc ei porrigens dixit: *Comede panem istum.* Ad quæ cum Nouitius responderet: *Domine, nequaquam vesci potui pane hordeaceo; Christus vulneri lateris sui panem eundem intinxit, & porrectum comedere jussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore eius.* Itaq; ex illo tempore, & panem atrum, & fabas, & reliqua legumina, cibosq; regulæ conformes, quos priùs digitis attingere, nausea illi erat, magna delectatione, comedit. Nempe nihil dulce non est, quod sanguine Christi imbuitur. Dixerat olim Deus; *In sudore vultus tui*

Idem Cęsarius lib. 4. c. 80.

Gen. 3. 19.

vesceris

veſceris pane; ſalſus ſudor amarum tunc fecit panem; nunc dulcis Chriſti ſanguis panem dulcem reddit, quem ab illo acceptum, læti edimus.

§. V.

Amara in dulcedinem verti, Deum amantibus.

Venit aliquando populus *in Mara, nec poterat bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ. Et murmurauit populus contra Moyſen dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Mara eſt Mundus, in quo quid non amarũ? Venit Chriſtus, & oſtendit nobis ſuæ Crucis lignum, dicens: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Qui ergo cruce illius ſcit vti, ſuaue jugum facit, & ſuaue illi eſt, quidquid eſt alijs amarum. Salſæ ſolent eſſe atque amaræ lachrymæ, ſed Cruce ſanguinéque Chriſti dulceſcunt. *Dulciores ſunt lachrymæ orantium*, inquit S. Auguſtinus, *quàm gaudia theatrorum.* Terrenis hominibus mentem leuare, graue eſt; leue crucis baculo nitentibus.. *Orando enim*, ait S. Bernardus, *bibitur vinum lætificans, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium infundit obliuionem.*

Exod. 15. 23.

Matth. 11. 30.

S. Bernard. ſerm. 18. in Cant.

Amarus & salsus est panis sudore vultus permistus; sed Crucis lignum in panem missum (non quemadmodum à Iudæis toxicũ, quo panis inficiebatur) ad Moysis figuram, amaritiem pellit, nectar facit & ambrosiam. Cui enim non fiat dulce pati, pro eo, qui vt pati posset, homo factus est? Qui autem vicissim pro eo pati optant, pati gaudent, & spe condiunt amaritudinem laboris. Immò & Deus illis laborem condit, compensátq;, quod tolerant, æternæ voluptatis cogitatione.

§. VI.

Cibi vice, Deo sacra Virgo, dulcedinem percipit diuinam.

Recito in hanc rem eiusdem authoris historiam. Ordinis sui cœtum, ait, fuisse Virginum Deo sacrarum. In eo, quæ penum curabat, promi condi loco, oua frixa, toto conuentu, diuiserat. Dum negotiosa est, dum satagit rerum, vnam obliuione præteriuit. Quid illa famelica? num impatiens facta, num ex odio se negligi suspicata est? num cellam execrationibus, sorores reliquas Diris impleuit, aut querelis? Nequaquam. Sed negligentia alterius, in suum meritum, vsa; sibimet, quòd neglecta esset, gratula-

Cæsarius. l. 8. c. 94.

gratulata est, Deóque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico prœmium virtutis. Nam summus ille paterfamilias, tanta os eius faucésque dulcedine compleuit, vt nunquam aliquid suauius, in omni vita sua, se meminerit, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo, sed menti insuper deliciæ sese tam infunderunt copiosæ, vt diceret, se omnibus eiuscemodi esculentis, vsque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodò adhuc semel, gaudiũ animi simile liceret persentiscere. O quàm verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere, & abstinere, qui gaudere paupertate, qui inopiâ delectari; ei Deus & cocus est; & medicus, & opsonator. Adeò homines paupertate vti ad meritum, vel abuti ad impatientiam possunt; &, sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; vt aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari. Psal. 67. 11.

§. VII.

Ægroto agricolæ Deus fraga mittit.

Duo hîc commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello

non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans Lycum, *saltus* monstratur. AEgrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerēt. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

§. VIII.

Ægroto Petro Canisio aduolat auicula in cibum futura.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam, *cum stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum Oeconomus, nullâq; reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert,* &, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib. 3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Biderm. lib. 1. Epigr. 119.

Qua

Qua in cœnam apposita, & parua & vnica contentus, nihil præterea gustauit, ille tamen lautè se opiparéq; eo vespere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit seruis suis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem scribit:

Nusquam alibi Nidum maluit esse sibi,
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, si mentem haberent atque intelligentia præditæ essent, & aues, & omnes creaturæ in escam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm sepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis ser[illegible]nt, & quô ipsæ in se non sunt destinat[illegible]is tamen, Sanctorúmq; corpori[illegible]entum additæ, ad cœlum ve[illegible]tique præoptarent, quàm cũ [illegible]natorum ventribus, æternùm [illegible]imè & miserrimè cremari; fit [illegible]m materia, materia damnato-

§. IX.

[illegible]uorum Dei magna, Mundi parua dulcedo.

Ob hæc talia diuinis obsequijs addicti identidem exclamant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Est enim & *magna* dulcedo, Psal. 30. 20.

non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans *Lycum*, *saltus* monstratur. AEgrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerēt. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

§. VIII.

Ægroto Petro Canisio aduolat auicula in cibum futura.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam, *cum stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum Oeconomus, nullâq; reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert*, &, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib. 3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Biderm. lib. 1. Epigr. 119.

Qua

Quæ in cœnam apposita, & parua & vnica contentus, nihil præterea guſtauit, ille tamen lautè ſe opiparéq; eo veſpere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit ſeruis ſuis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem ſcribit:

Nuſquam alibi Nidum maluit eſſe ſibi,
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, ſi mentem haberent atque intelligentia præditæ eſſent, & aues, & omnes creaturæ in eſcam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm ſepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis ſer[...]nt, & quò ipſe in ſe non ſunt deſtina-t[...]is tamen, Sanctorúmq; corpori-b[...]entum additæ, ad cœlum ve-[...]tique præoptarent, quàm cũ [...]natorum ventribus, æternùm [...]ſimè & miſerrimè cremari; fit [...]m materia, materia damnato-

§. IX.

[...]uorum Dei magna, Mundi parua dulcedo.

Ob hæc talia diuinis obſequijs addicti identidem exclamant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* Eſt enim & *magna* dulcedo, Pſal. 30. 20.

 cum

non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans *Lycum*, *saltus* monstratur. AEgrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerēt. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

§. VIII.

Ægroto Petro Canisio aduolat auicula in cibum futura.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam, *cum stomachus iam auersionibus laboraret, sapius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum Oeconomus, nulláque reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert*, &, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib.3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Biderm. lib. 1. Epigr. 119.

Qua

Quæ in cœnam apposita, & parua & vnica contentus, nihil præterea gustauit, ille tamen lautè se opiparéq; eo vespere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit seruis suis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem scribit:

Nusquam alibi Nidum maluit esse sibi,
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, si mentem haberent atque intelligentia præditæ essent, & aues, & omnes creaturæ in escam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm sepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis fer[illegible]nt, & quò ipse in se non sunt destinat[illegible]is tamen, Sanctorúmq; corpori[illegible]entum additæ, ad cœlum ve[illegible]tique præoptarent, quàm cũ [illegible]natorum ventribus, æternùm [illegible]simè & miserrimè cremari; fit [illegible]m materia, materia damnato-

§. IX.

[illegible]uorum Dei magna, Mundi parua dulcedo.

Ob hæc talia diuinis obsequijs addicti identidem exclamant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Est enim & *magna* dulcedo, Psal. 30. 20.

non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans Lycum, *saltus* monstratur. AEgrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerēt. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

§. VIII.

Ægroto Petro Canisio aduolat auicula in cibum futura.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam, *cum stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum Oeconomus, nullâq; reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert*, &, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib. 3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Biderm. lib. 1. Epigr. 119.

Qua

Quæ in cœnam appoſita, & parua & vnica contentus, nihil præterea guſtauit, ille tamen lautè ſe opiparéq; eo veſpere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit ſeruis ſuis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem ſcribit:

Nuſquam alibi Nidum maluit eſſe ſibi,
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, ſi mentem haberent atque intelligentia præditæ eſſent, & aues, & omnes creaturæ in eſcam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm ſepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis
ſer[illegible]nt, & quô ipſe in ſe non ſunt deſtina-
t[illegible]is tamen, Sanctorúmq; corpori-
[illegible]entum additæ, ad cœlum ve-
[illegible]tique præoptarent, quàm cũ
[illegible]natorum ventribus, æternùm
[illegible]ſimè & miſerrimè cremari; fit
[illegible]m materia, materia damnato-

§. IX.

[illegible]uorum Dei magna, Mundi parua dulcedo.

Ob hæc talia diuinis obſequijs addicti identidem exclamant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* Eſt enim & *magna* dulcedo, Pſal. 30. 20.

Amarus & salsus est panis sudore vultus permistus; sed Crucis lignum in panem missum (non quemadmodum à Iudæis toxicũ, quo panis inficiebatur) ad Moysis figuram, amaritiem pellit, nectar facit & ambrosiam. Cui enim non fiat dulce pati, pro eo, qui vt pati posset, homo factus est? Qui autem vicissim pro eo pati optant, pati gaudent, & spe condiunt amaritudinem laboris. Immò & Deus illis laborem condit, compensátq; quod tolerant, æternæ voluptatis cogitatione.

§. VI.

Cibi vice, Deo sacra Virgo, dulcedinem percipit diuinam.

Recito in hanc rem eiusdem authoris historiam. Ordinis sui cœtum, ait, fuisse Virginum Deo sacrarum. In eo, quæ penum curabat, promi condi loco, oua frixa, toto conuentu, diuiserat. Dum negotiosa est, dum satagit rerum, vnam obliuione præteriuit. Quid illa famelica? num impatiens facta, num ex odio se negligi suspicata est? num cellam execrationibus, sorores reliquas Diris impleuit, aut querelis? Nequaquam. Sed negligentia alterius, in suum meritum, vsa; sibimet, quòd neglecta esset, gratula-

Cæsarius. l. 8. c. 94.

gratulata est, Deóque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico præmium virtutis. Nam summus ille paterfamilias, tanta os eius faucésque dulcedine compleuit, vt nunquam aliquid suauius, in omni vita sua, se meminerit, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo, sed menti insuper deliciæ sese tam infunderunt copiosæ, vt diceret, se omnibus eiuscemodi esculentis, vsque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodò adhuc semel, gaudiũ animi simile liceret persentiscere. O quàm verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere, & abstinere, qui gaudere paupertate, qui inopiâ delectari; ei Deus & cocus est, & medicus, & opsonator. Adeò homines paupertate vti ad meritum, vel abuti ad impatientiam possunt; &, sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; vt aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari. Psal. 67. 11.

§. VII.

Ægroto agricolæ Deus fraga mittit.

Duo hîc commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello,

non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij* Cæsaris immensus, de rupe, trans *Lycum*, *saltus* monstratur. AEgrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horrerēt. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

§. VIII.

Ægroto Petro Canisio aduolat auicula in cibum futura.

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morbóque graui, & penè morti vicino. Nam, *cum stomachus iam auersionibus laboraret, sæpius à ministro cubiculi fatigatus, vt significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodijt in forum Oeconomus, nullâq; reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, auis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non vltro offert,&c*, vt Poëta canit:

Matth. Rader. lib. 3. de vita Petr. Canisij c. 3.

Illa ter, illa quater per inane cubile vagata,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Iacob. Biderm. lib. 1. Epigr. 119.

Qua

Quæ in cœnam appoſita, & parua & vnica contentus, nihil præterea guſtauit, ille tamen lautè ſe opiparéq; eo veſpere epulatum affirmabat. Sic Deus delicias facit ſeruis ſuis. Quin & auicula, vt Poëta de eadem ſcribit:

Nuſquam alibi Nidum maluit eſſe ſibi,
Nec potuit tumulo nobiliore frui.

Certè, ſi mentem haberent atque intelligentia prædıtæ eſſent, & aues, & omnes creaturæ in eſcam homini datæ, mallent vtique bonis in cibum cedere, quàm ſepeliri in impijs. Sic enim ad Dei gloriam magis ſeruirent, & quô ipſe in ſe non ſunt deſtinatæ, in Sanctis tamen, Sanctorúmq; corporibus, per nutrimentum additæ, ad cœlum venirent; quod vtique præoptarent, quàm cũ adipatis damnatorum ventribus, æternùm ignominioſiſſimè & miſerrimè cremari; fit enim ciborum materia, materia damnatorum.

§. IX.

Seruorum Dei magna, Mundi parua dulcedo.

Ob hæc talia diuinis obſequijs addicti identidem exclamant: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* Pſal. 30. 20. Eſt enim & *magna* dulcedo,

cum in Mundo vix stilla sit dulcedinis, adeóque parua. Est *multitudo* dulcedinis & varietas; nam & anima eam sentit, & corpus, & omnes sensus corporis: cum Mundus, quando corpus delectat, animum stimulet & cruciet. Est dulcedo aurium, vt apud S. Franciscum; est dulcedo in gustu Eucharistiæ, in ouis, & fragis, in auibus, in pane diuino sanguine tincto. Magna ergo multitudo dulcedinis diuinæ; parua & rara dulcedinis mundanæ, vel potiùs nulla; siquidem, quam parit, extinguit eodem instrumento. Sicut qui eodem oris flatu ignem excitat, & necat. Nam dum vino delectat, vino eodem cruciat, oculorum lippitudine, capitis dolore, podagra, & mille malis inductis.

§. X.

Fames mater saporis, cibos condit.

Quid quòd, sine miraculo, ipsa fames est optimum cibi condimentum, quæ dulce facit, quidquid comedunt *esurientes*, quos Deus *replet bonis? Dulciores, post famem, epulæ fiunt,* ait S. Ambrosius, *quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt. Condimentum cibi jeiunium est. Quantò auidior appetentia, tantò esca jucundior. Commendat sitis poculum, nescit vinum quærere.*

Luc. 1. S. Ambros. in tract. de Helia & jeiun. cap. 9.

Et

Et mox: *Vſu etiam pretioſa degenerant: quorum autem difficilis poſſeſsio eſt, eorum grata perfunctio. Ipſe ſol, poſt noctem, gratior: ipſa lux, poſt tenebras, ſplendidior: poſt vigilias, ſopor dulcior: ipſa ſalus, poſt ægritudinis tentamenta, jucundior. Ab ipſo mundi conditore didicimus, ſæpe diuerſitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo & conuiuio fames, vt gratior fiat menſa jeiunijs.* Hæc S. Pater. Narrat Thomas Cantipratanus, veniſſe ſe, in ignotum ſibi pagum; & quia pedibus id iter confecerat, longitudine viæ adeò fuiſſe laſſatum, vt, animo fugiente, moriendum ſibi putaret. Fratres, qui eum comitabantur, quà proximè patebat ingreſſus, domum preſbyteri ſubeunt; ſed, aperta janua, reperiunt clauſum miſerationi pectus. Neque enim vel nigerrimi panis fruſtum, pro homine inediâ deficiente, potuerunt obtinere. Inde ergo digreſſi longè latéq; oſtiatim circumeunt; nec quidquam accipiunt. In extremo pagi angulo caſa hærebat, ita pauperis fœminæ contubernium, vt ipſa ſtipe digna eſſet. Et tamen hæc, quæ minimum habebat, maximè omnium extitit liberalis. Fragmen fortè vnicum furfurei panis illi erat: hoc ipſum dabat; magnum donum, ſi dantis ma-

Thom. Cãtiprat. lib. 1. Apum. c. 16. §. 9.

num aſpicias ac facultatem. Hoc ergo vix ſpiranti Thomæ obſonium attulerunt. Ille annonam cum ſocijs diuidendam ratus, omnes ad communem menſam vocauit. Et audi ipſum loquentem. *Reſedimus ſub dumo, ait, panem comedimus. Et, licet palearum ariſtæ, quæ erant in pane, palatum comedentium ſtimularent, nunquam tamen in vita mea ſum tam ſuaui deliciarum edulio delectatus.* Optimus coquus eſt appetitus, quo carent Apicij & manducones, qui nunquam bene cœnant, qua nunquam eſuriunt. Eſt ergo & hæc vtilitas paupertatis, quòd egenis faciat meliùs ſapere cibum quemcunque, quàm diuitibus epulas Iouiales: immò & diuitibus, ſi volunt eſſe abſtinentes. Hinc Artaxerxi & Ptolomæo aqua & panis delitiæ fuerunt; & à Lacedæmonijs coquus omnis juris nigri perpetuo decreto proſcriptus eſt.

Plutarch. in Laconic. Cic. 5. Tuſc.

§. XI.

Animi lætitia in minoribus ſæpe maior, quàm in magnis.

Accedit ad hoc libertas animi, & vita curis vacua, quæ eſt vel hinc pompæ aulicæ preferenda; quia illa anxietate libera omnia reddit jucunda: hæc autem nunquam quieſcit ſtimulis atque intemperijs exagitata.

Appono

Appono hîc talia expertum & confitentem Augustinum. *Inhiabam*, inquit, *honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tantò magis, quantò minùs sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu*, &c. Et paulò infra: *Quàm ergo miser eram! & quomodo egisti, vt sentirem miseriam meam, die illo, quo, cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus: eásque curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æstuaret. Transiens per quendam vicum Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum jocantem atque lætantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris (qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum, trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans) nihil vellemus aliud, nisi ad securam lætitiam peruenire, quo nos mendicus ille iam præcessisset, nunquam illuc fortè peruenturos.*

S. Augustin. l. 6. Confess. cap. 6.

§. XII.

Diuitum æquè malis, ac nummis, carent pauperes.

Ex his exemplis perspicuum est, quàm

verum ſit illud adagium; *Vallus vitem decepit*. Vt enim valli, quibus vites alligatæ fulciuntur, nonnunquam, radicibus actis, ramis ac frondibus ſuis vitem ſtrangulant, aut proſtrati palmitem ſecum trahunt; ſic diuitiæ & rerum abundantia quibus opulenti nituntur, dum lætitias & voluptatem ſperantur parituræ, plerumq; curas gignũt, & mille ſollicitudinum procellas. Vbi enim plures curæ, quàm apud opulentos? vbi rarior quies, quàm apud opulentos? vbi ſomnus interruptior, quàm apud opulentos? vbi ciborum maius faſtidium, quàm apud opulentos? vbi frequentior nauſea vini, quàm apud opulentos, qui, poſtquam ſe *ad ſummum gutturem*, vt Comicus ait, ingurgitarunt, omnia conuomunt? vbi lites acerbiores, quàm apud opulentos? Et hæc vita non ſit amara? cum tamen pauperes, nec tineam metuant, nec furem; & totas noctes ſecuri dormiant, poſtquam mucido, tãquam Deorum cibo, & limpida, tanquam nectare, ſeſe ſuauiſſimè refecerunt. Videte
Pſal. 24. 8. igitur, quàm ſit *dulcis & rectus Dominus: ijs*, qui ſunt ſine ſolatio auri atq; argenti, *dulcis*: qui autem ſpem in auro incertam & ſollicitam habent, *rectus*. Diſpicite ergo, quàm

amarum

amarum sit, relinquere Dominum Deum, ac fodere sibi cisternas dissipatas. *Duo enim*, ait, *mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ierem. 2. 19. Ierem. 2. 13.

CAPVT XII.

Non solùm Religiosos & peculiares Dei seruos, sed & seculares prodigiosè curatos & pastos.

§. I.

Nihil deesse timentibus Deum.

NE quis autem existimet, Prophetis tantùm, atque Apostolis, virisque Eremitis, & Religiosis hanc à Deo curam impendi, suppetunt & rationes, & præter ea, quæ de Lydwina diximus, alijsq; alia exempla, quę demonstrant, hanc paternam filiorum alendorum prouidentiam, in alios quoq; fuisse corriuatam. *In præmissis veritatis nemo dubitet*, inquit D. Hieronymus. *Sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Quidquid est in hoc terrarũ orbe, hominis caussâ, conditum est. Nihil igitur se hominis vtilitati subducet, nisi ille se Dei obsequio subducat. Igitur si homo ad eam, quam Deo debet, Supra. c. 18. S. Hieron. in c. 6. Matth.

debet, seruitutem redeat, jure quodam suo, etiam cætera, tanquam sua; sibíq; debita recuperabit, siue religiosus is sit, siue comuni hominum lege, extra omnem religiosum ordinem, viuat. Siquidem generali prouidentia Deus omnibus consulit; peculiari verò filijs suis. Quo quis enim magis filij nomine dignus est, eò magis eum curare vniuersi parens debet.

§. II.

Magis curari à Deo, qui Deum magis curant.

Matth. 5. 45. Quòd si Deus etiam lilijs, & passeribus, & capillis capitis intendit, prouidentiámq; præstat; quòd si solem suum oriri facit etiã super injustos; quantò magis justis omnia necessaria prouidebit? Illud quidem fatendum est, sanctiorem quemque, ab omni cura temporali impensiùs mentem auellere, vt eam totam possit impendere Deo. Quare sicut ille solum Deum curat, ita obligat vicissim Deum, vt illum ita curet, quasi solum curet. Non negligit tanta bonitas eos, qui se totos in illam projecerunt. Itaque magis tales curantur, quàm si seipsos curarent; & maiorem eorum rationem habet Mundi Gubernator, quàm illorum, qui curas animúmq;

múmq; ſuum quodammodo diuiſerunt, aut toti negotijs im̃erſi ſeculo ſeruiunt. Quanquam bonus Deus magis hos etiam ipſos curat, quàm ipſi Deum.

§. III.

Obſeſſæ ciuitatis inſperatum auxilium.

Nec enim deſunt exempla. Quàm inſperatò ſuccurrit vſque ad deſperationem obſeſſæ ciuitati? *Factáq; eſt fames magna in Samaria: & tamdiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis.* 4. Reg. 6. 25.
Si fames hæc non ſatis magna, conſidera à matre filium coctum; conſidera verba ducis, Eliſæo magnam rerum omnium abundantiam in ſequentem diem promittente, dicentis: *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit eſſe, quod loqueris?* Et tamen, totis repentè Syriorum caſtris exterritis, fugientéq; & rege & exercitu, quanta omnium cibariorum copia in prædam relicta eſt? Vnus dies totam ſuſtulit calamitatem; nec citiùs ſol noctem pepulit, quàm abundantia penuriam; & inopia rerum omnium, in omnium rerum copiã eſt commutata. 4. Reg. 7. 2.

§. IV.

Mulieri per Prophetam proſpectum.

Neque

Neque toti tantùm ciuitati prouisum est, sed etiam exiguæ mulieri, ad quam Elisæus dixit: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicunque reperêris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram, septem annis. Quæ surrexit, & fecit juxta præceptum hominis Dei: & vadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philistym diebus multis.* Curauit vtique hæc mulier familiam, sed vna etiam à cœlo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, vbi aleretur. Quod quidem apertis verbis Propheta huic mulierculæ antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestionẽ, indicat Deus, vt locum mutent, & migrent aliò, vbi eos vult sustentare; qui si ibi manerent, vnde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent perituri.

4 Reg. 8. 1.

§. V

Apostolis à Christo pisces prouisi.

Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quæritarent, cum retia in vndas jactarent & piscarentur, nonne à Domino adjuti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem*

Luc. 5. 5.

autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adjuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam cœperant. Post resurrectionem quoque, stans in littore, Apostolis, qui iterùm tota nocte ceperunt nihil, dixit: *Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere, præ multitudine piscium.* Laborantibus igitur, & pro victu solicitis succurrit, & quasi manum porrexit. Quin postquam *descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem;* & dixit IESVS: *Venite, prandete.* En cocum factum! en factũ piscatorem, in gratiam piscatorum! Aut enim piscem, prunis postea superpositum, manu sua è mari extraxit, aut creauit, & piscem vtique magnum, qui tot famelicis piscatoribus sufficeret saturandis.

Ioan. 21. 6.

§. VI.

§. VI.

Pauperibus, in Natali Christi, epulum, & quæ ad illud pertinebant, mira dispositione Dei, & Francisci à Puero IESV paratum.

Ioseph. à Iesu Maria de vita Francisci à Puer. Iesu. c. 5. 6. lib. 1.

Possent hîc innumera alia exempla afferri. Vnum non prætermittam valde recens, quod in historia vitæ ac virtutum Venerabilis Fr. Francisci à Puero IESV Carmelitæ discalceati R. P. F. Ioseph à Iesu Maria, item Carmelita Discalceatus refert, Franciscum scilicet à Puero IESV, inter multa pietatis exercitia, in die Natali eius, Equitatui & militiæ IESV (ita pauperes vocabat) commune instruere solitum epulum, quo non solùm Complutenses, verùm etiã totius prouinciæ pauperes, modò factæ in eam diem confessionis schedulam testem ostenderent, excipiebat. Aliquot antè diebus religiosissimo candore Paruulum suum conueniebat, eique narrabat, se pauperibus festiuam mensam, in illius honorem, promisisse: illius partes esse vigilare, vt creditoribus sumptum suppeditantibus satisfiat. Eiusmodi oratione facta, omnem deinceps cogitatum suum in Dominum jactabat. Minimùm veruecibus triginta, bobus duobus,

bus, frumenti ſextarijs quindecim aut viginti illi opus erat, cum capreolis, larido, rapis, carbonibus. Quæ omnia Puer IESVS ad eum direxit, etiam per ignotos, & pauperes. Ipſi paſtores ruris illi de grege ſuo afferebant, quidquid liberet, & quocunque tandem precio, quandocunque ſoluendo. Denique ad miraculum omnia ſuppetebant, licet numerus conuiuarum, ad mille ducentos excreſceret; quos omnes ad laudandum Puerulum IESVM exhortabatur. Præter cibos autem, etiam ſingulis Regalem vnum in chartula complicatum offerebat. Quodam anno, in ſumma annonæ caritate, nocte quadam Natiuitati Chriſti proxima, in ipſo ſacello noſocomij, ſic paruulum ſuum eſt allocutus: *Domine, noſtrum feſtum, & dies cibandæ militiæ tuæ ecce eſt in foribus, Franciſcus autem ne vel vnum obolum habet: & nemo ei quidpiam adhuc obtulit, aut promiſit, ſicuti alias factum eſt, neſcio igitur, quid mihi, hoc anno, affuturum ſperem ab ipſomet Domino meo; maximè cum ipſe mei prorſus oblitus videatur.* Sic oranti repentè affuſus eſt maior fiduciæ ſpiritus; quem tamen Orcinus ſpiritus, obiecta hominum penuria, dictitánſque, voluntatem, hoc anno, pro opere

fore, extinguere est conatus. Sed fortiter eum repellenti, mox ad fores adfuit ignoti vultus homo, qui aureos illi in manus dedit refulgentes, vnà jubens hoc epulum, hoc anno, nequaquam omittere. Cum dicto se è conspectu subduxit. Secuti dein alij atque alij, qui omnia necessaria affatim suggerebant. Solus bos deerat, & instabat iam dies. Ergo frater, qui eum adjuuabat, identidem instans dicere non cessauit: *Itaq; hoc epulum, Francisce, bouem non videbit?* Respondit semper Franciscus: *Bouem habebimus. Scit Puer IESVS, eo nobis opus esse. Ne dubites, missurus est bouem.* Quin eo ipso die, quo singulorum portio præparabatur, adfuit frater, qui diceret: *Hoc anno bouem pauperes non comedent. Immò, ne despera*, ait Franciscus. Cum alter non cessaret vrgere, diffidentiam eius reprehendens, à se repulit, & mox adfuit, qui vltro bouem, non alio precio, quàm, vt pro se oraret, obtulit.

§. VII.

Bos emptus se ipsum sistit emptori.

Vice altera, ait ibidem author, *Madrito reuertens, ad Complutenses suos, paucis ante natalem Dominicum diebus, pro instruenda ordinaria mensa pauperum, ad Turregum, quod Complu-*

Compluto tribus dimidiatis milliaribus distat: animaduertit illic arantem rusticum in gemino boue; quorum alter, quia obesus valde atque abunde bonus ipsi videbatur, optimum putauit, si ex eo conuiuium istius anni instrueret. Conuenit ergo ea de re agricolam; agit de pretio, bouem emit; & , numeratâ pro eo pecuniâ, non alia obligatione adstringens eum rusticum, quàm quòd quatuor diebus ante festum Dominicæ Natiuitatis veniret Complutum, atque emptam illam, ac iam persolutam bestiam adduceret, lætabundus abit. Atque ita, nulla alia conditione superaddita, omnis timoris expers, nihil vel de ipso subulci nomine sollicitus, iter suum prosequitur. Stabat interim secũ cachinnans pagan9 (sicuti postea narrauit) & de homine tam sinceræ ac simplicis farinæ, qui sine alia præcautione, emptũ bouem ac pretium eius, in nunquam visi, nunquam auditi hominis manibus reliquisset, sibi ipsi risum faciebat, nihil minùs, quàm de tradendo pecore cogitans. Instabant Natalitia, & qui à conuiuio erat, Franciscum nostrum, vt de boue emendo ageret, commonebat: ipse autem iam emptum eum esse dicebat. Ventum erat, vt iam singulis præscinderentur portiones suæ, & vestigium bouis necdum apparebat, & Franciscus venturum eum asseuera-

 bat;

bat. Pridie igitur natiuitatis, præsentibus in hospitali fratre nostro, & altero Francisco de Cueuas familiari suo, cum pluribus alijs, bos ingens, & omni ex parte bonus ad mensam, tanquam in propriam penetrat, sine ductore, domum. Vidit, & subitò, ipsissimus ille est, inquit, noster Franciscus, emi illum, & pretium solui, ligate, mactate, diuidite. Venit autem & infidelis ille rusticus, multò post tempore, anhelus totus, & multa super profugo suo boue queritans. Ad primum autem F. Francisci colloquium compunctus vsq; ad cor, abjecit se coràm in genua, sinistræ suæ intentionis accusator factus; & vt delictum sibi remitteretur, supplex precator institit; confessúsq; est ijs, qui tum aderant, quomodo, cum primo diluculo istius diei egressus est ad opus suum, bos iste, qui alioquin mansuetissimus erat, Complutum versus sese arripuisset. Quem toto nisu insequutus nullatenus assequi potuisset, ad quem Fr. Franciscus conuertens sese pacificè, & super caput humiliantis se, & reatum suum publicantis manum imponens. Quid, amice, hoccine igitur tibi in animo erat? festina igitur ad templum, & ostende te paruulo IESV, vt istam tuam iniquitatem propitius tibi, vt petis, remittat, iuit autem & ipse pro gratia illa, & pro tam insigni prouidentiæ suæ symbolo gratiam

gratiam Deo relaturus. Vnde factum est, vt quotquot ibi reperti sunt, noua admiratione ac stupore corriperentur.

§. VIII.

Bos datus pauperibus, illico compensatur.

Addam hîc domesticum ac simile de boue, longéq; luculentius exemplum. P. Andreas Ouyedus, qui anno 1579. sanctissimè vitam finijt in Salembri, à Iulio III. Pontifice in Patriarcham suffectus, ab vniuersa gente Goana verè sanctus & vir Apostolicus habitus, præter ardentissimum zelum animarum, erga pauperes præcipua fuit charitate. Aliquando ita omnia in illos profuderat, vt nihil omnium, quod daret, superesset, præter vnicum adeò bouem, qui ei erat, ad sacra ornamenta deportanda, pernecessarius, si quando ex vno loco ad alium erat proficiscendum. Quia tamen viscera eius pati non poterant, vt miseros egentes oculis aspiceret, eum ipsum clitellarium bouem mactari jussit, atque in pauperum escam distribui. Adfuit tum illi, qui hæc ipsa postea de eo est testatus, monuítque: ne jumentum adeò necessarium occidi sineret. Huic Ouyedus respondit: *Sine, fili, eum, cædi atq; distribui: quippe cras manè Deus alium bouem*

prouidebit. Vaticinio euentus respondit. Intellexit enim nobilis quidam Patris charitatem pariter ac necessitatem, tantóq; benignissimæ liberalitatis, in pauperrimo Patriarcha, exemplo permotus, ad eum quadraginta boues, pecudésq; alias octoginta, præter alium commeatum, misit; quibus inopinatò auctus, in plures potuit alēdos esse liberalis.

§. IX.

Mercatoris in pauperes liberalitas compensata, illiberalitas punita.

Sic Deus submisit, non tantùm homini Religioso, sed etiam omnis generis hominibus extra Religionem degentibus, per Religiosum, festiuas epulas. Et quod mirum est, qui ad eum confluebant, non ad dandam, sed ad accipiendam eleemosynam confluere videbantur; cum tamen non accipiendi, sed dandi animo venirent, qui non ipsi erant indigentes. Illud etiam illustre est. Compluti erat quidā pius ac copiosus mercator, Matthæus Pontanus, apud quem acceptas eleemosynas Franciscus deponere solebat, vt reciperet, si proximi id indigentia postularet. Quodam difficili anno, & penuria rerum ingenti pressis hominibus nosocomióq; infirmis redundante, tantùm à thesaurario suo

In l. 2. c. 4. vitæ Francisci à Puero IESV.

argenti

argenti acceperat, vt non solùm fiscum proprium exhauriret, verùm etiam mutuum à mercatore peteret, fide Pueri IESV, in cautionem accepti, datâ. Omnia mercator in rationes inferebat diligentissimè. Tandem reperit se Franciscus millenorum ducatorum debitorem; nec territus, in dies debita augebat, mercatórq; petenti diu dabat; donec, mala cogitatione animum subeunte, vnde soluẽdo esset, cœpit dubitare. Redeunti ergo atque iterum petenti Francisco dixit: Vnde tot nomina expunges, Frater? quis tibi tantam pecuniæ summam promisit? Nemo, inquit, Franciscus, sed habeo bonum fidejussorem Puerum IESVM; qui me non deseret. Hoc responsum vbi ad amicos retulit mercator, derisui habitus est, vt qui se verbis sineret lactari, propriámq; familiam ac liberos in extremam cōijceret necessitatem, eique argentum suum concrederet, cui, præter peram, fundus nullus erat. His talibus sarcasmis exacerbatus Matthæus, redeunti, pro mutuo, Francisco, negauit se deinceps quidquam daturum; datis vtiq; iam abunde depauperatum despoliatúmque. Abijt vacua manu Franciscus, & Puero IESV necessitatem suam exposuit, à quo missus est, alium pa-

tronum quærere. Quæsiuit, & inuenit alium mercatorem Rodricum Nunnez, à quo æquè ac à priore omnia liberaliter accepit. Interim ex quo à Matthæo repulsus est Franciscus, cum Francisco etiam omnis fortuna abijt. Nihil in taberna ampliùs vendebatur; nec, quæ debita fuerunt, extorqueri poterant, silebat negotiatio, cessabant lucra, nulla in domo prosperitas, nulla in domesticis sanitas. Ipse Matthæus inquietus & conturbatus, quasi mente videbatur excidisse. Vsq; adeò damnosum est, lucro nimis inhiare; & parcum esse erga Deum, est opes profligare. Quod cum agnosceret Matthæus, Franciscum iam vltro conuenit, dixítq;, vt, solito more, pro mutuo, ad se rediret, se & sua omnia deinceps fore in illius, & Pueri IESV potestate. Quod vbi factum, & lucrari mercator iterum cœpit, & pauperum procurator, acceptis largissimis eleemosynis, intra mēsem, debitum omne dissoluit, adeò, vt etiam centum coronatorum summa superesset. Videant hîc mercatores, discant magnates, vnde possint opulescere; neque cum nostris Politicis existiment, se rem aucturos, dum minuunt sumptus in pauperes & Ecclesiam faciendos, Discant hinc ipsi pauperes, Dei curam

etiam

etiam ad eos alendos extendi, qui extra religionem religiosè viuunt. Quisquis Deo viuit, Deo fidat; cuius verbum est: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Isa. 1. 19.

§. X.

Principum promissa, in Deo stabilienda.

Ne longum faciam, complura alia omitto, quæ Francisco huic, in hoc genere, acciderunt; illud tribus verbis perstringam potiùs, quàm dicam, eum, si spem suam in Principibus posuisset, nec totum se in Dei manum tradidisset, nihil impetrasse opis. Quare cum Sabaudus, cum Catharina Austriæ infantissa matrimonium initurus, Madritum venisset, & eodem venienti Francisco multa promisisset; Madrito discessit, Francisci oblitus; qui iam Complutum redierat, pecuniæ accipiendæ cura alij demandata. Quare mœstus Franciscus, ad Puerulum suũ IESVM confugit, atque in sinum eius querelas deposuit, didicítq;, ideò nihil se accepisse, quia carnem brachium suum posuisset. Quàm primùm ergò posthac constituit, in solo Deo fiduciam omnem collocare, adfuit à Sabaudo cursor, qui liberali sanè eleemosyna in pauperes assignata eum subleuauit. O mortales, quid speratis in Principibus! in Deo

 sperate,

ſperate, & *bona terræ comedetis. In promiſſis veritatis*, ait D. Hieronymus, *nemo dubitet. Sit homo, qui eſſe debet, & mox addentur ei omnia.* Non eſt autem homo, qui eſſe debet, ſi in Deo non ſperat. Immo impietas eſt, poſt tot exempla luculentiſſima, poſt tot clariſſima Scripturæ Sacræ, ſanctorúmque Patrum teſtimonia, de diuina prouidentia dubitare. De qua qui dubitat, an Deus ſit memor ſuarum promiſſionum; dubitat, an ſit liberalis; dubitat, an ſit Deus; ſi enim Deus eſt, fidelis eſt, diues eſt, liberalis eſt; amans eſt ſuorum filiorum. Meritò igitur eiuſcemodi Dubitantium his verbis compellat D. Auguſtinus: *Tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino ſuo charo aliquid exiſtimas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur? An putas terrena deerunt, quibus cœleſtia & diuina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus?* Sed fortaſſe non ſunt tales in Eccleſia Dei? Diffidunt curæ & prouidentiæ Dei, quicunq; furtis, rapinis, fraudibus, aliiſque malis artibus diuites volunt fieri. Si enim à Deo neceſſaria ſperarent, nõ raperent aliunde. Sperarent autem, ſi non ipſis beſtijs ſe ſe judicarent indigniores. Siquidem

S.Hierõ. in c. 6. Matth.

S.Auguſtin. lib. de Eleemoſyna.

quidem de brutis animalibus ſciunt verè dici ad Dominum: *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuā, omnia implebuntur bonitate.* His ſe æquiparare non audent, quia non tantùm comparati ſunt animales iſti equo & mulo, & jumentis inſipientibus, ſed etiam, infra beſtiarum vilitatem, ſe ſe abjecerunt. Si in Deo ſpem collocarent, non ſolùm ad eos alendos pij homines, ſed etiam corui, cerui, lupi, leones, aliáq; bruta animalia, & ipſa elementa excitarentur. Pſ. 103. 28.

§. XI.

Dei in extrema fame, notabilis miſericordia.

Et fuerunt excitati. Recenſebo in hanc rem exemplum, quo vix quidquam in diuinæ prouidentiæ teſtimonia luculentius poteſt afferri. Habeo illud ex Annalibus Francorum Pithæi, nec Baronium id ſuis Annalibus inſerere piguit. Anno reparatæ ſalutis 850. ſæuiſſima fames Germaniam inuaſit; ſed præcipuè eos infeſtauit, qui Rhenum accoluerant. Ibi vnus frumenti Moguntiaci modius decem ſiclis argenti vendebatur. Sed memorabilis fuit charitas Archepiſcopi Rhabani. Is in quadam parochiæ ſuæ villa, Wincella dicta, commorabatur, &, præter dome-

Pithæus in Annalib Frāc. Baron. tom. 10. Anno 850. n. 15.

domesticos ac familiares suos, quotidie pl⁹ quàm trecentos alimentis sustentabat. Itaque ingenti contentione illuc pauperes vndique confluxerunt. Inter hos visa est & mulier inedia consumta, quæ filium paruulum gestans, refici cibo cupiebat, sed exhaustis viribus, in ipso limine concidit. Puerululus igitur adrepens mamillam matris mortuæ, quasi adhuc viuentis, de sinu protrahens ac sugere tentans omnes gemere & flere coëgit, qui miserabile illud spectaculum intuebantur. Nimirum minus beneficium alij existimarent, esse in alimentis positum, nisi alij fame interirent: & luculentiùs succurrit Numen, dum, alijs inedia morientibus, alios ab ipso penè capulo reducit ad vitam. Itaque, eo ipso tempore, alius quispiam de Grabfelden famem fugiens, vxore & tenero adhuc filio comitante, in Thuringiam proficiscebatur. Quàm verè locutus est, qui famem *malesuadam* appellauit? Nā audi, quid huic suaserit. Si mensā Thyesteam cogitas, minùs cogitas. Alienis ibi manibus mactatus est puer, & ab ignaro parente absumtus. Hîc, pater suismet manib⁹ & dentibus gnatum lacerare constituit. Ventum erat ad siluam densis arboribus horridam &

vel

vel ab ipſis vmbris formidoloſam. Procul ab hominibus, nec feram conſpiciebant. Quid non ſuadet ſolitudo? quid non cogit fames? Fractus jeiunio parens inedia tabeſcentem vxorem intuens, puerúmque aut mortuo ſimilem, aut iam morituro, ſic conjugem affatur: Quid viuimus, mea chariſſima, immò quid morimur tamdiu? an non ſatius eſt, hanc citò finire calamitatem? Et finienda eſt profectò omnibus tandem, ſi nō vnius morte duorum vitam redimimus. Paulo poſt animam iam fugientem exhalabit nobis hic puer, & nos cum illo, ni qualicunque cibo vires reſtauramus. Nuncquid igitur ſatius eſt, pueri mortem accelerare, vt eius carnibus viuamus? vitam illi dedimus, ſic vices ibunt, ſic vitam dabit & ille nobis: immò ſic longo eum pariter, & nos cruciatu liberabimus. Ad hæc verba, vehementiſſimè viſcera materna cohorruerunt: neque voluit pia parens in ijs eundem filium bis geſtare. Obteſtata eſt igitur, quantis maximis precibus potuit, maritum, ne tantum ſcelus in Deum, in proprium ſanguinem, in innocentem puerum admitteret: potiùs omnibus occumbendum vnà, quàm tale facinus audendum. Vim peroranti prolis lachrymæ ac

ejulatus

eiulatus addiderunt. Caucaſum commouiſ-ſet pallida mater, pro teneri filij vita, apud patrem, apud coniugem ſupplex. Sed fames patris in rabiem ceſſit. inijcit coniugi, inijcit proli manus, &, de maternis brachijs, filium, per vim, rapit, necquidquam clamantem, vxoréq; fruſtra reclamante, & ſuperos ob-teſtante. Efferatur, in ſummis malis, non ex-tinguitur penitus hominis natura. Quamob-rem & iſte fame væſaniens, ne vno ictu & matrem occideret, & prolem, filium à pa-rentis conſpectu longiùs aſportauit, vt, ex-tra oculos illius, eum deartuaret. Quin e-ducto iam gladio, manu ipſa, ad tantum faci-nus, trepidante, aliquandiu in ancipiti hæ-ſit, deliberauítq;, cōſultiúſne eſſet, ferire, an perire? fuítq; crudele certamen, inter amo-rem patrium, & furorem comedendi. In tali mentis lucta, ſiniſtra gnatum trahens, fer-rum nudatum dextera tenens dum progre-ditur, adeſt repentè de cœlo auxilium, & ec-ce, quaſi pro Iphigeniæ mactatu cerua ſub-ſtitueretur, ita inopinatò conſpicit duos lu-pos eminus ceruæ inſtantes, eámq; recens occiſam lacerantes. Quis eo tunc lætior? il-lico manu mittit filium, eúmq; vitæ, liber-tati, matri, immò & ſibi donat; ſublatóque

clamore,

clamore, ſtrictum enſem intentans, quãtum, per vires, licuit, accurrit, lupos fugat, & ferina cruda ſtomachum placat. Mox partes alias atque alias ſecat, eáſque, vt erant, cruore manantes ad coniugem, affert, iam naticidium pridem eſſe peractum exiſtimantem. Cum autem etiam videret maritum venientem, carnéſque recentes ſanguine perfuſas manibus ferentem, quid aliud arbitrari potuit, quàm filij occiſi eas eſſe? Ergo, animo fugiente, ſenſibúſq; deſtituta retrorſum collapſa eſt, non ſecus ac fulmine dejecta. Aduolat maritus, conſolatur vxorem, quæ non, niſi filio adducto conſpectóque, credere voluit, filium viuere. Filium vbi vidit, tum demum illi remigrauit ex integro ſpiritus; tum in pedes erecta, tum in has voces effuſa eſt. *Exultauit cor meum in Domino: infirmi accincti ſunt robore: & famelici ſaturati ſunt. Dominus mortificat; & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Egit & maritus Deo gratias, & quòd tam immani facinore ſe non paſſus eſſet contaminari, & quòd filium ſibi conſeruaſſet: dixitque ex animo: *Oculi omnium in te ſperant Domine*, quia *tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Lauda Dominum mecum & tu, vxor, & tu, fili, *per hæc enim*

1.Reg.2.1.

Pſ.144.15.

Iob.36.31.

nim judicat populos, & dat eſcas multis mortalibus. Poſt eiuſcemodi laudes, menſæ accubuerunt, teſtatíque ſunt poſtea, nunquam ſe ſuauiùs epulatos eſſe, quàm cum incoctis carnibus, in ſilua, veſcerentur. Sic Deus ipſos lupos voluit eſſe famelicorum hominum laniones. Nec mirum eſt à lupis homini prædam relictam, ſi à lupa Romulum ac Remum lactatos eſſe Romani crediderunt.

CAPVT XIII.

Mirabile iudicium Dei, per ſimpliciſsimos, ſæpe efficientis, quod per ſapientes ſperari non potuiſſet.

§. I.

Dei ars eſt, contraria è contrarijs elicere.

NOn ſubuenit igitur tantùm ijs diuina miſericordia, quibus alij non ſubueniũt, aut qui aliunde deſerti ſunt, ſed ſæpe etiam ſubuenit, per lupos, per ceruos; aut ſi per homines, certè per illos, de quibus minimè ſperauiſſes; ſicut in contrarium ſæpe nocent, quos crediſſes tibi
Luc. I. 71. profuturos, vt *pro perca*, quod dicitur, *ſcorpium capias*, & ex ipſa *vipera medicinam*, hoc eſt, *ex inimicis ſalutem.* Ars maior eſt, remedijs minoribus ſuccurrere: maxima autem, ſi non

ſi non tantùm contraria contrarijs curentur, ſed etiam ipſi artis præcepto contraria adhibeantur. Sic Seruator *expuens in terrã fecit lutum ex ſputo*, ad oculos cæci illuminandos, cum alioqui luto oculi excæcentur; nihil enim illis magis eſt contrarium. Sic cum nihil ſit, quod aquas magis reddat amaras atque impotabiles, quàm ſal (vt ex marinis aquis eſt manifeſtum, quas nemo poteſt bibere) tamen Eliſæus eas, immiſſo in amaras aquas ſale, dulces potabileſq; effecit. Si artem ſequi humanam, aut pharmacopolas voluiſſet imitari, ſaccharum inſperſiſſet, mel infudiſſet, mulſum, non ſalem indidiſſet. Habet ergo præcipuam admirationem diuinæ prouidentiæ illud cœleſte iudicium, quo *vocat ea quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt*; & vtitur ijs, qui ſunt cõtemtibiles, in hominum oculis, vt eos confundat, qui ſibi videntur eſſe ſapientes. Nam quemadmodum, apud Strabonem, *Crotoniatarum poſtremus, reliquorum primus eſt*; ita ſæpe, apud Deum, *primi* fiunt *nouiſſimi*, *& nouiſſimi primi.*

Ioan. 9. 6. 4. Reg. 2. 20. Rom. 4. 17. Strab. lib. 6. Matth. 19. 30.

§. II.

Innocentis Monachi ridicula ſimplicitas maliтioſiſſimi Nobilis iniquitatem emendat.

Cæſarius lib. 6. cap. 2.

In quam rem *VVido Abbas Ciſtercienſis, poſtea Cardinalis, cum miſſus eſſet Colonias, ad electionem confirmandam, quæ facta fuerat contra Philippum in Othonem, retulit ibidem, quandam ſanctæ ſimplicitatis hiſtoriam ſatis jucundam, ſatiſque mirabilem.* Dicebat enim, Ciſtercienſis ordinis domum quampiam, in ditione ſitam Nobilis, ſed Deum ac diuina non curantis viri. Is, cui jus & vis idem erat, cœnobium multis miſeris vexabat modis; per præfectos ac miniſtros reliquos, de annona, de vino, de pecoribus Monaſterij, quatum libuit, abſtulit, atque vſurpauit; idque toties, quoties væſana in eum inceſſit libido rapiendi. Religioſis reliquit, quantum ipſi videbatur, non quantum ad eos pertinebat. Quem ad modum haud raró hodiéque fieri videmus, ab iјs, qui, vt ipſi pereant, perdere Religioſorum reditus, omni, quâ poſſunt, ope, nituntur. Diu iam ea durauerat tyrannis; & pœnè lex erat, nullum jus eſſe Monachorum, eorúmque jura, ſine injuria poſſe violari. Quid facerent, contra vim tantam, pauperculi? Crabronem irritaſſent, aut ignem gladio fodiſſent, niſi querelas intra ſepta monaſterij continuiſſent. Itaque gemitum ſilentio prementes, velut incluſam flam-

flammam, conabantur ſuffocare. Sed ea tandem, tanquam ruptis repagulis, ſe ſe effudit potentiùs, quando idem Nobilis, more hoſtis, in armenta ipſa monaſterij palam inuaſit, partémque haud exiguam, prædæ inſtar, in ſuam arcem, nouus Cacus abduxit. Conuocat Abbas fratres, in cõcilio exiſtunt querelæ, mox turbæ, itur in diuerſas ſententias. Mittendum vnúm, è toto cœtu, cenſuerunt. Sed non erat, qui mitti vellet. Abbatis præcipuam fore authoritatem arbitrabantur. At ille prouinciam detrectauit, dictitans, nihil ſe, apud Caucaſeum pectus, profecturum. Deſtinatur Prior, ſed & ille noluit actum agere. Deſignatur is, qui *cellæ præfectus* vocatur; excuſauit. Ad vltimum; Nemóne hîc eſt, ait Cœnobiarcha, qui nobis ire aut velit, aut adire hunc Verrem audeat? Cunctis altùm ſilentibus, indignante ironia, vnus: Ille, inquit, eat, & digito ſimul hominem ſenio ingenióque ſimpliciſſimum, ac inde ineptiſſimum oſtendebat. O quanta eſt vis ſimplicitatis! Neſcit tergiuerſari, dum neſcit ſuſpicari. Hinc, qui ſimplicior, idem eſt obedientior.

Igitur, ceteris omnibus iter detrectantibus, iſte ſolus negotium ſuſcepit. In ipſo abi-

tu, ex Abbate quærit: Quid ſibi, ſi non totum, ſed pars duntaxat eorum, quæ ablata erant, reſtituatur, faciendum? Reſpondet Abbas: *Quidquid reddiderit, accipe, in Nomine Domini.* Prçſtat aliquid recipere, quàm amittere totum. Sic inſtructus it monachus. Ad arcem vbi peruenit, immò & ad conſpectũ honorati prædonis, cœpit Præſulis ſui, Fratrúmq; ei inprimis orationes offerre; tum etiam mandata, quæ acceperat, exponere.
Iob. 12. 4. Audit ouẽ vulpes, &, quia *deridetur juſti ſimplicitas,* quæ eſt *lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum;* ideò & tunc ſuperba aſtutia, querelas Religioſi parui pendens, & cum ſarcaſmo eleuans, video te famelicum, inquit, Pater, igitur priùs prande, & tum reſponſum accipe. Profuit & hîc, ſimplicem fuiſſe, vt iniquus depeculator
Iob. 5. 13. *in aſtutia ſua comprehenderetur.* Condixit.
1. Cor. 3. 19. Manſit. Hora prandij jubetur accumbere; apponuntur conſueta carnium fercula; nulla hoſpitis carne alioqui abſtinentis habita ratione, immò in muſcipulam, qua non conuiua, ſed conuiuator caperetur. Haud immemor erat Monachus aut regulæ, aut conſuetudinis ſuæ; ſed obedientia ſimpliciſſimo homini, & præceptum Abbatis præcipuè

ante

ante oculos versabatur. Itaque cum carnes appositas, de monasterij sui pecoribus esse, haud ambigeret, intrepidè eas, non tantùm ad satietatem, sed etiam, supra naturæ appetentiam, contruncare institit, ídque, non vt se, sed vt Superioris mandatum impleret. Sedebat, cum vxore sua, Nobilis, in diuersa mensæ parte, identidem tuburcinantem & obseruans, & admirans, temeréque secum cogitans, ita Religiosos, cum foras prodeunt, libertate in peccatum abuti, è claustri sui cauea emissos. Absoluto prandio, remotísque mensis, Monachum ab arbitris seductum, eiuscemodi sermone aggressus est. Dic mihi, bone vir, *solétne Conuentus vester manducare carnem?* Nequaquam, ait Monachus. Addit Nobilis: *Quid, cum exeunt?* Neque domi, neque foris carnibus vescuntur, inquit Monachus. Ratus Nobilis, se eum in nassam compulsum tenere: Cur igitur, tu, hodie, inquit, Milo mihi factus bouem propemodum solus integrum, in mensa mea, deuorauisti? Dixit hæc vocaliùs, vt ceteri quoque audire ac ridere possent. Verùm alia consilia Dei fuêre. Voluit enim *tyrannum* (sic author vocat bonorum Ecclesiasticorum inuasores) innocentissimi viri simplicitate, erudire; non titillare ad cachinnos.

 Audi,

Audi, quid simplicitas versutiæ responderit. *Cum Abbas meus*, inquiebat, *huc me mitteret, præcepit mihi, vt quidquid ex pecoribus rehabere possem, accipere non recusarem, & quia mihi constabat, carnes appositas fuisse monastery mei; item quia timui, nil amplius mihi fore restituendum, nisi quantum dentibus capere possem; comedi, propter obedientiam, ne omnino vacuus redirem.* Superauit tam sincera simplicitas omnes eloquentiæ profanæ artes & colores. Nam quia *Deus non proyciet simplicem, nec porriget manum malignis*, ea vis, fuit responsi, vt adamantinum Nobilis pectus penetrârit. Illico enim dicti candore, immò S. Spiritu per os Monachi loquente, commotus, præstolari tantisper eum jussit, donec rem ad vxorem referret; sine cuius vtique nutu ac tribunali nihil audebat facere. Vxori igitur, recensitâ senis responsione, dixit: Tantæ virum innocentiæ ac simplicitatis repulsam pati, indignum est, & periculosum. Quippe præsentem Dei vindictã metuo, si hunc offendo. Idem censuit & vxor, viro, ad miserandum, procliuior. Ergo ad senem reuersus hac oratione vsus est. Venerande senex, optime Dei serue, vicisti, non Tullium eloquentem, sed Paulum simplicem imita-

Iob.8.20.

imitatus. Si vi egisses, si disertis verbis, si compositis ad persuadendum figuris, si tropis me aggressus esses, lapis fuissem. Vsus obediētia, vsus sinceritate, me totum emollijsti. Vidi enim te hominem esse misericordia dignum. Itaque Monasterio tuo & abacta pecora, quæ supersunt, restituā, & quidquid vnquam damni intuli, quà licuerit, in integrum sarciam; neq; posthac quidquam turbæ in vos mouebo. Ex eâ igitur horâ, non solùm bona sua, sed etiam constantem cœnobitæ pacem ac quietem habuêre.

§. III.

Cur Deus quibusdam frænum laxet in Religiosos, itémque, cur per simplices sæpe plus efficiat, quàm per mundi sapientes?

Duo mihi hinc sumo documenta. Primum, sicut paterfamilias eadem claui aperit clausa, & aperta claudit, ita eodem opere laxare aliquando Deum secularibus frænū, in Religiosorum prouentus, aliáque bona grassantibus, vt, dum inuasores rapiendo currunt in Infernum, Religiosi tolerando cœlum promereantur, & in Domino ponere spem suam assuescant, solentúrque se illo cantu: *Quoniam non in finem obliuio erit pau-* Ps. 9. 19.

peris; patientia pauperum non peribit in finem. Succurrit tandem cœlestis Pater, per illos ipsos etiam, qui presserunt, dummodo non Megarensium, sed veris lachrymis calamitas ploretur, nec pro Parni scaphula, quod dicitur; bellum instituatur. Alterum documentum est, magnam esse cœli potentiam, quæ per simplices æquè nouit juuare, ac per prudentes. Allegoria vetus est, *Ne puero gladium commiseris*, quo docetur, imperitis ac fatuis non mandandam esse rerum magnarum potestatem. Hæc proba est monitio, si viribus humanis negotium geratur.

Psl. 8, 3. Deo autem perinde est, etiam *ex ore infantium & lactentium* potest *perficere laudem.* Et sæpe per hos facit, quod non facit per disertos. Per paruos, cum magna gerit, tantò plus illi tribuendum est, quantò minùs illis,

Vide Baronium tom. 6. An. 484. 1. Cor. 1. 26. per quos gerit. Sic testatur Marcellinus Comes, etiam per adolescentem, cui Rex Hunericus jusserat linguam exscindi, fidem Christi clariùs prædicatam. Itaque *videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia*

mundi

mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro, in conspectu eius. Non glorietur in stemmate suo sanguis regius; non in eloquentia sua Demosthenes; non in gladio suo Alexander: Deus per simplices & piscatores Apostolos totum mundũ subiugauit: hodiéque non infrequenter *de stercore eleuat pauperem, vt solium gloriæ teneat,* de quo potentes deponit. Inter Angelos ea est subordinatio, vt superior illuminet inferiorem, non autem inferior superiorem. Quia vbi iam nullum est superbiæ periculum, neque debet esse caussa humiliationis. Inter homines autem facilè doctior est inflatior; & pronissimum est, vt superior despiciat inferiorem. Quamobrem diuina sapientia constituit, vt sæpe simplicior erudire debeat prudentiorem; & vel eruditissimus discat ab omnium scientiarum imperito. Sũt enim eruditi, tegulæ domus in alto positæ, simplices, terræ subjacenti similes. Super tegulas pluuiæ de cœlo cadunt, sed citò delabuntur in terram, quam faciunt virere. Ita contingit in alta cathedrâ constitutis, cœlestis doctrina, instar pluuiæ, per mentem eorum transit, non imbuit volun- 1.Reg.2.8.

tatem. At simplices, minùs quidem intelligunt, plus tamen volunt. Possunt igitur docere affectu, à quibus intellectu superantur.

§. IV.

Deiparæ Virginitas à simplici Fr. Ægidio defensa.

Sur. in vita S. Ægidij 23 April. tom. 7.

Venit aliquando ad AEgidium D. Francisci simplicissimum discipulum, *quidam ordinis Prædicatorij valdè eruditus Sacræ Theologiæ, qui multis annis mirè vexatus fuit hæsitatione quadam de perpetuâ Matris DEI virginitate. Videbatur enim ei fieri non posse, vt simul Mater esset & Virgo. At tamen dolebat ei plurimùm, vtpote viro bene Catholico, isthæc hæsitatio, cupiebátque ab homine diuinitus illustrato de hac quæstione doceri. Audierat verò, fratrem Aegidium egregiè illuminatum, & sæpiùs rapi in DEVM, itaq; statuit ire ad eum, confidens, eius sermonibus hac ambiguitate liberatum iri. Cùm autem iam esset in viâ, Aegidius spiritu cognouit, & tentationem & aduentum eius, procedénsque ei obuiam, priusquam quicquam diceret, baculo terram percussit & ait: Frater prædicator: S. MARIA Virgo est ante partum, móxque illic ortum est elegans lilium. Iterum humum cædens, Frater Prædicator, inquit, S. MARIA Virgo est in partu, & con-*

& confestim alterum erupit lilium. Tertiò solum feriens. Fr. Prædicator, ait S. MARIA Virgo est post partum, simúlq; tertium enatum est lilium. Mox autem Ægidius aufugit, & Doctor ille curatus est. Postquam autem didicit. eum fuisse Ægidium, multò deinceps amore, & illum & ordinem eius complexus est. Consimili modo, *in Campania Galliarum Prouincia, in monasterio Cisterciensis ordinis, quod Argensoles dicitur, Abbatissam vidimus,* ait Cantipratanus, *quæ, sine vlla litteratura artis Grammaticæ, non solùm libros Theologiæ; verùm etiam libros Augustini de Trinitate plenißimè intelligebat, & difficillimas quæstiones eorum lucidißimis solutionibus exponebat.* **Thom. Canti- prat. lib. 2. cap. 46. §. 5.**

§. V.

Sapientia diuina paruulis reuelata.

Quàm verè dixit Christus: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis? Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Quem locum exponens S. Augustinus ita scribit: *Nomine sapientum & prudentum superbos intelligi, ipse exposuit, cum ait: Et reuelasti ea paruulis. Quid enim paruulis, nisi humilibus?* Addit D. Gregorius: *Nec dixit: Reuelasti ea stultis, sed paruulis, tu-* **Matth. 11. 25.** **S. Augustin. serm. 8. de verb. Dom. S. Greg. c. 9. sup. Iob.**

morem

36. l. 27. Moral. *morem ſe damnaſſe innoteſcens, non ingeniꝫ acumen.* Perpendant ergo, qui ſe ſupra ceteros ſapere arbitrantur, quàm exiguam cauſſam habeant, ſe circumſpiciendi, quaſi plus alijs ſciant; cum diuina Sapientia, in rebus maximis, plus reuelet paruulis, & piſcatoribus Apoſtolis, quàm tumidis Philoſophis; plus Aegidio, quàm Theophraſto; plus Paulo Simplici, aut mulierculæ rudi, quàm Socrati ſapienti; immo cum per pueros doceat ſenes. Sic conſtituit iuuenem Ioſeph principem domus Pharaonis, *vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*, in medio ſapientium Aegyptiorum. Sic cum Suſanna innocens *duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. Et dixerunt ei ſenes: Veni, & ſede in medio noſtrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* Sic ipſum puerulum Iesvm parentes *inuenerunt in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt.* Ita enim interrogando diſcipuli egit partes, vt ab omnibus Doctor Doctorum eſſe videretur. Et

Pſal. 104. 22.

Dan. 13. 45.

Luc. 2. 46.

fuit

fuit hic ipſe quoque, ni fallor, puerulus, qui magnum illum Auguſtinum docuit, non nimis alta de SS. Trinitate diſputare. Dabo authorem pium, ea de re, quæ alioqui controuertitur, non dubitantem. Cuius hæc ſunt verba.

§. VI.

S. Auguſtinus à paruulo eruditus.

Quid te inflas, humana ſuperbia? quò aſſurgis fortiùs, tantò turpiùs conquaſſaris. Audi, quid de Beato Auguſtino S. Voluſianus in Laude mirabili teſtatur, dicens: In alijs ſacerdotibus per mundum quomodocunq; toleratur, inſcitia; id eſt ignorantia, cum autem ad Auguſtinum ventum fuerit, Legi Dei deeſſe creditur, quidquid eum contigerit ignorare. Quid autem tam magnifico viro, ſuper profunditate ſermonis & arduarum rerum diſputatione, contigerit, audiamus. Inter miracula quædã Beati Auguſtini tale quid de eo reperitur. Eo in tempore, quo Beatus Auguſtinus librum de Trinitate compoſuit, illi tale miraculum Deus oſtendit. Hipponenſis ciuitas Africæ nobilis, in quâ Beatus Auguſtinus Epiſcopatum adminiſtrabat, ſuper littus maris pulcherrimè ſita erat. Beatus autem Auguſtinus in conſuetudine habebat, vt, poſt diurnum ſtudium ac laborem, veſpere ſuper littus

Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 48. §. 3.

tus maris, ſequentibus eum à longè Epiſcopis & Clericis, qui eum, pro conſilio & negotio vniuerſalis Eccleſiæ, frequentabant, ſolus antecedens deambularet: ne ſcilicet eius contemplationem & ſtudium fabulatio impediret. Cùm ergo ſic ſolus, vice quadam, incederet, puerulum miræ pulchritudinis ſuper littus maris ſedentem inuenit, qui factâ in terrâ foſsâ paruulâ, ſicut pueri in plateis ludentes ſolent, cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam foſſam paruulam effundebat. Quem vt Beatus Auguſtinus ita ſeriosè ſedentem vidit, pedem mox preſsit, & ſtetit. Procedénſq; inde, puerum ſalutat, & inquirit, quid agat? Et puer cum magno ſerio reſpondens, volo, inquit, totum mare iſtud exhaurire, & iſti foſſæ, ſi poſſum, infundere. Quo reſponſo, quaſi puerili, vir ſanctus in riſum decentiſsimum concitatus, reſpondit: Et quomodo inquit, ô bone puer, hoc poteris? ingens mare eſt, paruum cochlear, quo exhauris, parua etiam foſſa, in quam infundis: Et mox puer: poſsibilius, inquit, mihi eſt hoc facere, quod intendo, quàm te implere, quod cogitas. Ad hoc Beatus Auguſtinus mirabiliter ſtupefactus, quid hoc eſſet, interrogat. Et puer: Cogitatu, ait, voluis, & æſtimas volumine breui concludere, quid ſit illud indiuiduæ Trinitatis inexpli-

inexplicabile Sacramentum, Et hoc quidem antequam poßis, isti fossæ paruulæ potiùs totius maris vndas infundam. Hæc dicens puer repentè disparuit. Beatus verò Augustinus Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

§. VII.

Præcedentis historiæ veritas trutinata.

Hæc ad Liburnum, portum Pisanorum contigisse tradit Iacobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puero IESV ei apparente rès probabilior est, quàm quòd S. Hieronymo apparuerit; non solùm quia epistola illa D. Augustini ad Cyrillum fictitia est; sed quia etiam vetustissima, in Ecclesia, pictura est D. Augustini, cum puero ad littus & pedes illius sedente, atq; cochlear tenente, quo mare in effossam scrobem colligit: quidquid nonnulli etiam hanc imaginem sublæstæ fidei esse arbitrentur. Quod si ergo historiam esse ponamus, voluit & hunc Doctorem Puer IESVS docere, & voluit vtiq; sanctus hoc Doctor libenter ab hoc Puero doceri, tanquam à Sapientia Patris, magistróque veritatis; qui per veros, aut ætate, aut sapientia mundana, pueros, complures alios, in humanis oculis grandes instru-

In tom. 2. D. Augustini Appendice epist. 17. Io. Molā. de hist. SS. Imaginum lib. 3. cap. 36.

instruxit, vt Mundi sapientiam confunderet; docerétque, nullum pusillum, nullum quantumuis simplicẽ esse contemnendum. Sic exaltatur à Deo humilitas, sic sublimitas humiliatur.

§. VIII.

Amphilochij simplicissimi profunda & audax sapientia.

Niceph. Callist. l. 11. hist. Eccles. c. 9. Sozom. lib. 7. c. 6. Theodor. l. 5. c. 16. Trip. c. 35.

Nicephorus, Sozomenus aliíq; complures testantur, fuisse Iconij senem quendam Episcopum Amphilochium dictum, antiquæ simplicitatis hominem, qui Theodosium Magnum Imperatorem ausus est adire, eique libellum supplicem dare, quo Theodosius monebatur, vt impios Arianorum conuentus, ex vrbibus proscriberet. Neq; enim minùs nocere infectione hæreticos censebat, quàm pestilentia correptos, qui luem, etiam, in maximè cautos, propagant. Imperatori durior ea inhumaniórque petitio videbatur, vt qui clementia atq; beneuolentia capiendos Arianos putaret, imprudentémq; Episcopi zelum in alia tempora quietiora differendũ arbitraretur. Quid ibi fecit sapientissima Amphilochij simplicitas? quibus machinis porrò quatere Imperatoris animum instituit? Est tempus, cum silendo

ſilendo plus efficimus, quàm loquendo. Igitur quàm ſincerâ ingenuitate petitionem ſuam explicauit, tam prudenti patientia repulſam paſſus tacuit. Exiſtimauerat Imperator, homini aquam hæſiſſe, nec iam argumenta ſolùm, verùm etiam verba deeſſe. Erras, erras, ô Imperator, non eſt ſtultitiæ ſignum, poſſe, tacere. Garrulorum ſermo, vti vilis, ita & excors eſt. Solus ille verè ſapit, qui habet linguam in poteſtate. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt: & precioſi ſpiritus vir eruditus.* Hinc, *ſtultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.* Pro. 17. 27.

Amphilochius igitur, tanquam elinguatus, abijt; ſed ſilens conſilium coxit, toti Eccleſiæ profuturum. Paulo enim poſt facinus dignum memoria fecit; & vtique alijs quoque imitandum, ſi mortales tam facilè pro Chriſti gloria, quàm pro Principum oblectatiunculis, ſtulti ſuſtinerent reputari. Quippe occaſionem captauit, vt, cùm alijs Præſulibus in aulam venientibus, & ipſe veniret. Ibi, vti mos, & par erat, cum alijs Epiſcopis Imperatorem quàm decentiſſimè conſalutauit. Recta inde ad filium ipſius,

V qui

qui admodum nuper ad Imperiũ lectus fuerat, digressus, eum impolitè atq; inurbanè gestúque subrustico tractare cœpit. Neque enim eadem illi, quæ patri eius, obseruantiæ honorísque signa exhibuit; sed tanquam si de vulgo, aut coloni terræúe filius esset, ita cum eo, quasi cum puero colloquẽs, manúque eum, contra omnes leges aulicas, demulcens: *Saule & tu, ô puer*, inquiebat. Hæc cum videret Theodosius, senem Amphilochium ætate desipere existimabat, & vtique rudiore animo, rusticum, non aulicum, in aula, agere cogitabat. Itaque simplicitatem hominis instruendam censuit, docuítque, quibus cærimonijs filius esset salutandus. Iterum erras, ô Imperator, non tu illum, ille te docebit: tui, non illius mores, sunt culpandi.

Audijt igitur Amphilochius Imperatorem, instructionémq; illius, leui risu, refutans, quasi per contumaciam, respondit: sufficere filio eius iam exhibitum à se honorem. Hoc dicto Theodosius ira percitus, & non secus, ac si filius atroci iniuria affectus esset, grauiter commotus, Episcopum delirantem, cum conuicio, abduci jussit. Cithara vt sonet, percutienda est: idem huic Episcopo

ſcopo accidit. Tangebatur iam & ſatellitum manu ignominioſè foras protrudebatur, cum renidente ac ſereno ore conuerſus; conſiliúmque in animo occultatum ſonantiſſima voce proferens: *Vidéſne, ô Imperator*, inquiebat, *quàm tu indignè illatam filiò tuo injuriam feras? Vides, quàm vehementer & incensè, ob compellationem minùs vrbanam decentémque, in me, exardeſcas? Sic ſcilicet exiſtimare te oportuit, ſuccenſere etiam cœleſtem Imperatorem, & Patrem Vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, ſed diſſimilem & longè minorem Patre vocare audent.*

Hîc vidiſſes, quid diuina poſſint. Etenim Imperator, cum inde rem actam intelligeret, & verba illa confidentiſſimè aptiſſiméque prolata admiraretur, velut fulmine ictus, ita quàm primùm ſacerdotem Dei ad ſe accerſiuit, atque ad pedes eius accidit veniam petens, publicáque voce profeſſus eſt, non Epiſcopum, ſed ſe ſimplicem fuiſſe atq; ignorantem; neque aliter, quàm ipſe dixiſſet, ſe rem habere. Igitur in ea ſententia confirmatus, poſtea eos, qui aliter, quàm Nicææ ſtatutum fuerat, opinarentur, extremè auerſatus eſt. Contentiones in foro, & inanes

conuentus inhibuit; disputationibus, de Deo & natura eius, finem omninò imposuit, & constitutione publicè proposita, periculum, qui ei non parêrent, denunciauit, pœnásque, contra hoc edictum acturis, seuerissimas est comminatus. Ita factum, vt, Arianis & Eunomianis pulsis, *τῦ ὁμουσίυ consubstantialis* fidei professores Ecclesias moderarentur. Ita astutiam simplicitas supplantauit.

§. IX.

Quantum esset sæpe emolumentum; si, qui possunt, Principibus auderent veritatem ingerere?

Liceat saltem mihi, ex hac historia, aliquid discere, si alij nolunt. Nempe illud disco, vt non diffidam simplicitati meæ, sed quæ ad diuinum honorem; quæ ad Religionem orthodoxam, & conseruandam, & propagandam; quæ ad justitiam pacis & belli obtinendam faciunt, & quæ mihi à bono Genio, immò à bono Deo suggeruntur, ea, cum locus, aut tempus jubet, liberè proferam. Si apud Principum aures, si in curia Regum, si in maximis aulis mihi locus non est; saltem illis identidem occinam, & circa illorum aures circumsonabo, qui pro-

ximi

ximi ſunt Principibus, qui Regum aures tenent apertas, qui cuiuſcunque Dynaſtæ aut curiam, aut animam habent, occupántque. Non ſum exercitatus in ſchola Machiauelli; non didici gryphos; non ſectatus ſum artes & ambages Politicas; at meliorem magiſtrum Spiritum S. humilibus promiſſum inuocabo, quia *inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Sapientior enim euadet, quàm Athenienſes, & omnes Mundi ſapientes. Timebat Moyſes, cum eum Deus mitteret ad Pharaonem, & dicebat: *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* Etſi enim eruditus eſſet, omni ſapientia AEgyptiorum, &, vt Origenes ait, eloquentia incomparabili, tamen *ab heri, & nudius tertius*, poſtquam Deum loquentem audiuit, intellexit ruditatem ſuam; ſicut ruſticus, licet, cum iumentis ſuis comparatus, ſapiens videatur; collatus tamen Doctoribus imperitiam ſuam agnoſcit; ita Moyſes vidit, omnem humanam ſapientiam, coram Deo, ſtultitiam eſſe. Sed Deus illi dixit: *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum?* Age igitur, quod agis, tu linguam dabis, ego ſuggeram verba.

Iob. 32. 8. Pſ. 93. 12. Exod. 4. 10.

Quo pacto etiam Christus Apostolos suos
Matt. 10, 19. animauit dicens: *Nolite cogitare, quo modo, aut, quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hoc idem & alij, quibus cum magnatibus est negotium, aut occasio colloquendi, debent secum cogitare, insisteréque
Act. 2, 4. viæ Apostolorum, qui *cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus S.* (non prout Spiritus Mundi) *dabat eloqui illis.* O quanta facerent, pro pauperibus, Principes, pro populis Reges, pro Ecclesia Imperatores, si Amphilochios multos haberent; si essent, qui eorum vultus, rugas, iras, fulminantes oculos possent pati; si Episcopi ipsi, si Ecclesiarum præsides, si Concionatores, si conscien-
Isa. 56. 10. tiarum moderatores, non essent *canes muti, non valentes latrare*; qui magis Principis, quàm Numinis gratiam captant; idque illico rectum esse pronunciant, quod Regi, nõ quod juri & æquitati vident cõuenire; apud quos, quidquid Domino illorum displicet, injustum est, rectum, quidquid placet. Sic nimirum sapiunt Mundi sapientes. Sic canunt, similes ranis, quę etsi multùm canant, parum laudantur. Nec enim ranæ, nisi ranis

placent,

placent. At Paulus sic loquitur: *Gloria nostra* 2. Cor. 1.
hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in 12.
simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conuersati sumus in hoc mundo. Quid quòd & bonæ mentis Principibus, magis probatur sincera simplicitas, quàm astutia vulpina?

§. X.

Spiridonis Episcopi simplicitate mysterium SS. Trinitatis defensum.

Sæpe *deridetur justi simplicitas*, interim Iob. 14.4.
reipsa, *simplicitas justorum dirigit eos.* Nam Prou. 11. 3.
talibus vtitur diuina sapientia, cùm & minùs superbiant, & magis veritati, quàm subtilitati obediant, conscij propriæ imbecillitatis. Sed & Dei virtus, illis aliquid, quod vires sapientum excessit, efficientibus, magis elucescit. Minus enim simplex addit de suo; & plus gloriæ Numini relinquit inexploratus homo, quàm de quo fuit magna expectatio. Qua ratione Anno 325. Catholica Religio, per Spiridonem Episcopum Trimithuntium triumphauit. Cõfluxerant, eo anno, ad Nicænam Synodum, non solùm Episcopi Catholici per litteras accersiti; sed etiã ex Philosophis pleriq;, qui apud Gentiles pro sapientibus habebantur, dispu-

Sozom. l. 1. c. 1. Ruff. l. 1. Euseb. l. 10. c. 3. Niceph. l. 8. c. 15.

tationibus, in hoc Concilio, agitatis, dedita opera, interfuerunt. *Quorum nonnulli, quænam tandem esset Christiana doctrina, admodum scire auebant: alij odio in Christianos propterea animati & inflammati, quòd superstitiosa Gentilium religio nuper antiquari cœpta erat, quæstionem de fide Christiana propositam, ad inanem quandam verborum cõcertationem deduxerunt: adeò vt ipsi, inter se, digladiari, & secum pugnare viderentur.* Inter hos vnus, tanquam nouus Goliath, in medium processit, & insolenti dicendi arrogantia se jactare, magnásque glorias verborum flare cœpit. Dixisses militem gloriosum. Neque se duntaxat circumspiciebat ac prædicabat, sed sacerdotes insuper Dei præ sanè confidenter ac proteruè eleuabat, contemnebat, irridebat. Spiridon nequaquam Suadæ filius, artísque dicendi, multóque minùs fallendi, ac præstigiarum omnium expers, hanc Philosophi superbiam non tulit, sed & ipse, ad certamen cum eo ineundum, surrexit. Habuit diuersos ea res motus. Petulantes risu, modestos impleuit metu. Veriti enim sunt, ne juueni senex, homini facundissimo & eloquentissimo indoctus atque indisertus succumbens ludibrio exponeretur. Itaque

ceteri,

ceteri, qui aderant Episcopi, libenter receptui cecinissent. Sed veneranda eos canities illustris Confessoris absterruit, reuerentiáq; ipsa illi fecit authoritatem. Data est ergo illi, liberè, quæ vellet, loquendi potestas. Ille, sine exordijs, sine colore, sine arte, eiuscemodi oratione eum contriuit: *In Nomine IESV Christi, Philosophe, audito. Vnus est Deus cæli, terræ, & omnium rerum tam oculis subjectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia, & virtute Verbi fabricatus est, & sacrato Spiritus S. afflatu stabiliuit. Quare hoc Verbum: quod nos Filium Dei nuncupamus, misertum humani erroris, & belluinæ viuendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus vnà versari, próq; ijsdem, mortem oppetere voluit. Est quoq; iterum venturus, de ijs rebus, quas quisq; gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide duntaxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis, laborem frustra consumere, quærereue, qui ista fieri, aut non fieri possint? Quod si credis, mihi quidem sciscitanti responde.* Quasi de cœlo tactus, ita sapientissima dictionis simplicitate obstupefactus Philosophus, illico respondit: *Credo.* Mox etiam amplissimas illi

gratias egit, quòd ipsum & vicisset, & erudijsset; protestatus, se eadem cum sene sentire. Quin consilium etiam illis dedit, qui perinde erga fidem Christianam, atque ipse antè, affecti erant, adhortatúsque est, vt doctrinæ Christianæ assentirentur, jureiurando confirmans, se non modò non sine diuino Numine mutatum esse; sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Christianam fidem conuersum.

§. XI.

Ipsos sapientes à simplicibus erudiri.

Eant nunc Mundi sapientes (quorum tamen non nisi septem numerantur) & spernant simplicitatem. Eant Stoici, Peripatetici, Academici, & disputationes acutissimas vanitati vendant. Eant & doctissimæ subtilitatis Theologi, &, quæ nemo intelligat, scribant, dictent, explicent. Præ illis Deo, cuius est *cum simplicibus sermocinatio*, Spiridones, Pauli Simplices, Simeones Sali, Iacoboni placuerunt. *Scriptum est enim: Perdam* (1. Cor. 1. 19.) *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi?* Supercilium igitur ponant, qui sibi de magna eruditione tumidè

tumidè plaudunt, ac faſtidiosè deſpuunt ineruditos. Deus ſapientiſſimus, ſicut per ſimplicitatem Spiridonis, acutiſſimum Sophiſtam conuertit, quem tot ac tanti, in eodem Concilio collecti Patres conuertere non potuerunt; ita & nunc ſæpe, per non admodum doctum, ſed pium ac zeloſum ſacerdotem, plurimos hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, pereuntes ad ſalutem trahit; cum plurimi Theologiæ Doctores grandia de Deo loquentes, ne vnum quidem hominem conuerterint, aut ad vitam traduxerint meliorem; ne dicam, conuertere dignati ſint. Quod non eò intellectum volo, quaſi eruditionem aut eruditos eleuem; ſed ne ſcientia inflati, ſimplices putent à Deo minùs æſtimari; atque ipſi beneficiis ſaginati pecunias magis, quàm animas venentur, curámque religionis indoctis relinquant; quaſi qui plùs ſciunt, minùs facere teneantur; cum, Chriſto teſte, *omni, cui multum datum eſt, multum quæratur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petant ab eo.* Luc. 12. 14.

C A-

CAPVT XIV.

Per bestias, etiam illas, à quibus alioqui cauemus, Deum nonnunquam succurrere, & miranda exhibere.

§. I.

Homines à bestijs nutriti, vel ducti per inuia.

Pro. 8. 31. Sup. c. 18. Iustin. l. 1. Gell. l 5. c. 4. Plin. l. 8. c. 17. post Liuium lib. 1. Aloysius Lipomanus ex Simeone Metaphrast.

QVemadmodum, in hominibus, ita & in ipsis etiam bestijs, contrarios sæpe euentus ostendit *ludens in orbe terrarũ* diuina sapientia; qua duce prosunt ipsæ noxiæ animantes. Supra dixi, per coruos, voracissimum animal, Prophetæ & Eremitæ, pérq; calidissimam bestiam, Chuthberto cœlestem œconomũ, cibos misisse. S. AEgidium cerua sustentauit. Cyrum canes, Androdum, vel, vt alij legunt, Androclum leo nutriuit. Vestalis Romulum & Remum *paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit; ad vagitum lupa accurrit, eósq; vberibus suis aluit.* In vita S. Athenogenis Abbatis ac martyris legimus, imperante Diocletiano, in ciuitate Sebaste, eundem Abbatem, antè, quàm ad martyrium raperetur, ceruæ suæ, quam aluerat, benedixisse, ci-

se, eíque à Deo precatum, vt stirps eius non deficeret. Ab eo tempore quotannis, die 17. Iulij, quo S. Athenogenes, cum suis fratribus, Christi caussa, interfectus est, quando Euangelium canebatur, venit cerua in templum, cum hinnulo, quem inibi reliquit; quasi Numini, in memoriam Sanctorum Martyrum, sacrificium obtulisset. Vrspergensis aliíque historici scribunt, Hunnos citra Mæotidem paludem habitasse, venationibúsq; suis contentos, de alijs regionibus solicitos non fuisse, immo neque putasse, in altera ripa, terram cultam aut homines reperiri. Verùm, cum fortè venatores quidam conspicerent ceruam, lento gressu, paludes transeuntem, atque interdum, quasi vadum exploraret, subsistentem, donec in alteram ripam euaderet, idque illis mirum & insolitum videretur; eius semitam subsecuti regionem amplam & à Scythis habitatam inuenerunt. Hunni ergo rati, à cerua sibi vadum diuinitus indicatum esse, coacto exercitu, traiectóque lacu, Scythas & finitimos nihil tale opinantes oppresserunt, eóque progressi sunt, vt toti orbi formidabiles redderentur. Ammonius refert, simili modo, ceruam Clodouæo

17. Iulij.

Sozom. l. 1. c. 37. ait boue œstro percitum fuisse.

Ammon. lib. 1. c. 21.

Franco-

qui quatiens ſcutum haſtâ, cum ſilentium feciſſet, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui ſecum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adoleſcens; priùs ſciſcitatus conſulis ſui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus proceſſit. Ei repentè coruus in galea conſedit, in hoſtem verſus: qui non ſolùm tenuit ſemel captam ſedem: ſed quotieſcunque certamen initum eſt, leuans ſe alis, os oculóſque hoſtis roſtro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis viſu, oculiſq; ſimul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conſpectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Conſule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

§. III.

Niuibus incluſum, mirabili magiſterio, docent ſerpentes nutrimentum quærere.

Ioan. Fiſcher. l. 4. contra Oecolampad. c. 22.

Quia luculentum eſt diuinæ prouidentię ac bonitatis, in alia hiſtoria, exemplum, neque fortaſſe in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam hiſtoriam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fiſcheri Roffenſis Epiſcopi opere, quod Anno 1526. aduerſus Oecolampadium edidit

dit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem,* ait, *quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans, desilijsset, neque reducem quaqua versum exitum comperisset, neq; vnde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se fame moriturum conjecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niuê super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tēpestate, antris suis exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorū quandam credidit illusionem, aut spiritus forte malignos, qui tali specie simulatâ ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectâ versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant; ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic. Richeō. in Peregrino Lauretano c. 138.

qui quatiens ſcutum haſtâ, cum ſilentium feciſſet, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui ſecum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adoleſcens; priùs ſciſcitatus conſulis ſui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus proceſſit. Ei repentè coruus in galea conſedit, in hoſtem verſus: qui non ſolùm tenuit ſemel captam ſedem: ſed quotieſcunque certamen initum eſt, leuans ſe alis, os oculóſque hoſtis roſtro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis viſu, oculiſq; ſimul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conſpectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Conſule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

§. III.

Niuibus incluſum, mirabili magiſterio, docent ſerpentes nutrimentum quærere.

Ioan. Fiſcher. l. 4. contra Oecolampad. c. 22.

Quia luculentum eſt diuinæ prouidentię ac bonitatis, in alia hiſtoria, exemplum, neque fortaſſe in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam hiſtoriam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fiſcheri Roffenſis Epiſcopi opere, quod Anno 1526. aduerſus Oecolampadium edidit

dit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem*, ait, *quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans; desilijsset, neque reducem quaqua versum exitum comperisset, neq; vnde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se fame moriturum conjecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niue super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tēpestate, antris suis exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorū quandam credidit illusionem, aut spiritus forte malignos, qui tali specie simulatà ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectà versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant; ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic. Richeō. in Peregrino Lauretano c. 138.

qui quatiens scutum hastâ, cum silentium fecisset, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui secum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adolescens; priùs sciscitatus consulis sui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus processit. Ei repentè coruus in galea consedit, in hostem versus: qui non solùm tenuit semel captam sedem: sed quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os oculósque hostis rostro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis visu, oculisq; simul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conspectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Consule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

§. III.

Niuibus inclusum, mirabili magisterio, docent serpentes nutrimentum quærere.

Ioan. Fischer. l. 4. contra Oecolampad. c. 22.

Quia luculentum est diuinæ prouidentię ac bonitatis, in alia historia, exemplum, neque fortasse in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam historiam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fischeri Roffensis Episcopi opere, quod Anno 1526. aduersus Oecolampadium edidit

dit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem, ait, quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans, desiliysset, neque reducem quaquà versum exitum comperisset, neq; unde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se famè moriturum conjecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niuè super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tẽpestate, antris suis exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorũ quandam credidit illusionem, aut spiritus fortè malignos, qui tali specie simulatâ ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectà versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant, ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic. Richeõ. in Peregrino Lauretano c. 138.

qui quatiens ſcutum haſtâ, cum ſilentium feciſſet, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui ſecum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adoleſcens; priùs ſciſcitatus conſulis ſui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus proceſſit. Ei repentè coruus in galea conſedit, in hoſtem verſus: qui non ſolùm tenuit ſemel captam ſedem: ſed quotieſcunque certamen initum eſt, leuans ſe alis, os oculóſque hoſtis roſtro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis viſu, oculiſq; ſimul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conſpectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis; laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Conſule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

§. III.

Niuibus incluſum, mirabili magiſterio, docent ſerpentes nutrimentum quærere.

Ioan. Fiſcher. l. 4. contra Oeco- lampad. c. 22.

Quia luculentum eſt diuinæ prouidentię ac bonitatis, in alia hiſtoria, exemplum, neque fortaſſe in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam hiſtoriam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fiſcheri Roffenſis Epiſcopi opere, quod Anno 1526. aduerſus Oecolampadium edidit

dit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem,* ait, *quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans, desilijsset, neque reducem quaqua versum exitum comperisset, neq; vnde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se fame moriturum conjecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niue super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tẽpestate, antris suis exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorũ quandam credidit illusionem, aut spiritus forte malignos, qui tali specie simulatâ ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectà versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant, ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic. Richeõ. in Peregrino Lauretano c. 138.

CAPVT XIV.

Per beſtias, etiam illas, à quibus alioqui cauemus, Deum nonnunquam ſuccurrere, & miranda exhibere.

§. I.

Homines à beſtijs nutriti, vel ducti per inuia.

QVemadmodum, in hominibus, ita & in ipſis etiam beſtijs, contrarios ſæpe euentus oſtendit *ludens in orbe terrarũ* diuina ſapientia; qua duce proſunt ipſæ noxiæ animantes. Supra dixi, per coruos, voraciſſimum animal, Prophetæ & Eremitæ, pérq; calidiſſimam beſtiam, Chuthberto cœleſtem œconomũ, cibos miſiſſe. S. AEgidium cerua ſuſtentauit. Cyrum canes, Androdum, vel, vt alij legunt, Androclum leo nutriuit. Veſtalis Romulum & Remum *paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in ſicco reliquit; ad vagitum lupa accurrit, eóſq. vberibus ſuis aluit.* In vita S. Athenogenis Abbatis ac martyris legimus, imperante Diocletiano, in ciuitate Sebaſte, eundem Abbatem, antè, quàm ad martyrium raperetur, ceruæ ſuæ, quam aluerat, benedixiſſe, ei-

Pro. 8. 31.

Sup. c. 18.

Iuſtin. l. 1. Gell. l 5. c. 4. Plin. l. 8. c. 17. poſt Liuium lib. 1. Aloyſius Lipomanus ex Simeone Metaphraſt.

se, eíque à Deo precatum, vt stirps eius non deficeret. Ab eo tempore quotannis, die 17. Iulij, quo S. Athenogenes, cum suis fratribus, Christi caussa, interfectus est, quando Euangelium canebatur, venit cerua in templum, cum hinnulo, quem inibi reliquit; quasi Numini, in memoriam Sanctorum Martyrum, sacrificium obtulisset. Vrspergensis aliíque historici scribunt, Hunnos citra Mæotidem paludem habitasse, venationibúsq; suis contentos, de alijs regionibus solicitos non fuisse, immo neque putasse, in altera ripa, terram cultam aut homines reperiri. Verùm, cum fortè venatores quidam conspicerent ceruam, lento gressu, paludes transeuntem, atque intergressu, paludes transeuntem, atque intersubsistendum, quasi vadum exploraret, subsistentem, donec in alteram ripam euaderet, idque illis mirum & insolitum videretur; eius semitam subsecuti regionem amplam & à Scythis habitatam inuenerunt. Hunni ergo rati, à cerua sibi vadum diuinitus indicatum esse, coacto exercitu, traiectóque lacu, Scythas & finitimos nihil tale opinantes oppresserunt, eóque progressi sunt, vt toti orbi formidabiles redderentur. Ammonius refert, simili modo, ceruam Clodouæo

17. Iulij.

Sozom. l. 1. c. 37. ait boue œstro percitum fuisse.

Ammon. lib. I. c. 21.

Franco-

de gest. Franc. Francorum regi, contra Gothos pugnaturo, vadum in flumine Vigenna demonstrauisse. Quod etiam S. Itæ è Tokhenburgensi arce innocenter pręcipitatę accidit. Nam, Fazell. de reb. Sic. dec. 2. l. 9. cap. 6. ceruâ præuiâ, aptum solitudini locum inuenit. Capitolium olim anser; Casiblim accipiter, contra hostes, defendit.

§. II.

Hortus à serpente, non Hesperidum, sed verè defensus; homines ab aquilis & coruis adiuti.

Fundensis monastery monachus, cui excolendi hortos cura erat, cernens, in eo olera par- S. Greg. l. 1. Dial. cap. 3. *tim sublata furto, &, reperto aditu, quo fur ingredi consueuerat, serpenti pracepit, vt illum custodiret, nec inde nisi iussus discederet. Prô pudor! Irrationale animal seruo Dei obediuit; homo damnum irrogare non dubitauit. Fur ergo peruersus, cum serpentem conspexisset, pra timore, se retro ferre voluit; &, pede vepribus implicato, pronus pependit, donec ab ipso olitore superueniente expeditus fuit.* Sic serpens, qui in primo horto hominem fecit nocentem, in hoc horto, innocentis excubitor fuit; & qui olim furtum pomi suasit, nunc obstitit, Plin. l. 10. cap. 5. vt homo neque olusculum posset furari. *Educata à Virgine, apud Seston vrbem, Aquila retulit*

retulit gratiam, aues primò, mox deinde venatus aggerens. Quin, dum mortuæ Virginis cremarentur ossa, in defunctæ rogum se coniecit volucris, simúlq; conflagrauit. Aquila hæc, beneficij memor, gratam se exhibuit; alia nullo beneficio obligata, idē beneficium sponte prestitit Pyrrho Epirotarum regi; & idem alia Ptolomæo Soteri Arsinoës filio. Ast alia (Xiphilino, Suetonio, & Dione testibus) Octauio Augusto, cum puer adhuc ruri, quarto ab vrbe lapide, via Campana educaretur, in nemore prandenti, ex improuiso de manibus panem rapuit, móxque altissimè euolauit, quæ paulò post leniter delapsa ex improuiso eundem ei reddidit. Quod non solùm, cum Imperij portento, ei accidit, sed etiam vt constaret, eadem animalia cibum auferre, & offerre posse. S. Medardum adhuc püerum pecora pascentem à pluuijs, Iosephum Anchietam à Solibus, expassis alis, aquila defendit. Atq; vt rursus à nostris, ad Ethnicorum mira regrediamur, Zonaras, Anno, ante Christum 346. tempore Alexandri M. pueri nouem annorum, narrat, Gallis Italiam populantibus, Romanisque resistentibus, Gallum processisse magnitudine atque armis insignem.: qui

Sur. tom. 3. in vita eius.

qui quatiens ſcutum haſtâ, cum ſilentium feciſſet, prouocauit, per interpretem, vnum ex Romanis, qui ſecum ferro decerneret. Ibi M. Valerius, Tribunus militum, adoleſcens; priùs ſciſcitatus conſulis ſui (L. Furij Camilli, M F.) voluntatem, in medium armatus proceſſit. Ei repentè coruus in galea conſedit, in hoſtem verſus: qui non ſolùm tenuit ſemel captam ſedem: ſed quotieſcunque certamen initum eſt, leuans ſe alis, os oculóſque hoſtis roſtro & vnguibus appetijt; donec territum prodigij talis viſu, oculiſq; ſimul ac mente turbatum Valerius obtruncauit. Ales è conſpectu elata, orientem petijt. Inde, victis Gallis, laudatus Tribunus, & decem bobus aureáque à Conſule coronâ donatus *Coruini* cognomen accepit.

§. III.

Niuibus incluſum, mirabili magiſterio, docent ſerpentes nutrimentum quærere.

Ioan. Fiſcher. l. 4. contra Oecolampad. c. 22.

Quia luculentum eſt diuinæ prouidentię ac bonitatis, in alia hiſtoria, exemplum, neque fortaſſe in omnes notum, aut non ita credibile indoctis, auctores, & aliam hiſtoriam verbis non meis dabo, quam, ex Ioannis Fiſcheri Roffenſis Epiſcopi opere, quod Anno 1526. aduerſus Oecolampadium edidit

dit (qui se à Wilhelmo Gronyensi docto Frisone probatæque fidei viro accepisse, testatur) Ludouicus Richeomus ita refert: *Is sacerdotem*, ait, *quendam, cum, sub initium hyemis, Italiam versus iter ageret, niuis & algorum adactus necessitate, dum in alpibus errabundus, mitiorem à ventis, & niuibus vallem reperire sperans, desilijsset, neque reducem quaquã versum exitum comperisset, neq; vnde desilierat, propter altitudinem, ascendere potuisset, sub exesam, & propendentem rupem se se fame moriturum conjecisse, ac desperasse. Sed, vt erat luna plena, vidit noctu serpentum diuersa genera, qui ad ipsius cauernam tendebant niue super repentes; exterritus hoc visu, muniuit se signo S. Crucis. Neq; enim sibi persuadere statim potuit, naturales esse serpentes, nullam fingere causam valens, qua naturaliter cogerentur, tali tẽpestate, antris suis exire, & sic per niues repere. Phantasmatum igitur nocturnorũ quandam credidit illusionem, aut spiritus forte malignos, qui tali specie simulatâ ad se inquietandum accederent. Rursum igitur signum Crucis sibi imprimens, commendabat se, toto mentis affectu, Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectâ versus lapidem speluncæ suæ vicinum contendebant; ibiq; aliquot factis reflexibus, cœperunt*

Ludouic. Richeõ. in Peregrino Lauretano c. 138.

eundem lingere. Ipse interim anxiè eos respectans horam præstolabatur, quâ impetu facto ingrederentur speluncam, ad se deuorandum. At vbi illi aliquandiu lapidem linxissent, regressi sunt, eâdem, qua venerant, viâ, in sua antra. Summas igitur Deo agit gratias, qui tali eum metu liberasset, dormiuitq; nonnihil, per noctis reliquum, absq; cibo diem sequentem transiens, nihilque, præter candorem niuis terram latè operientis, & lucem cœli videns. Secundâ & tertiâ nocte, horâ eâdem, reuersi serpentes fecerunt similiter, & abierunt. Tum demum credidit naturales serpentes, sed mirabatur, quidnam ita lapidem lingerent. Iam penè viribus destituto incidit cogitatio, quòd fortè animalia illa ostenderent, quid sibi faciendum esset, in sua necessitate; túmq; ad lapidem accedens cœpit eundem similiter lingere, & ecce (res stupenda) inter lingēdum, ita fuit restitutus quasi cibo refectus. Tali itaq; modo, totâ hyeme, sub rupe, latitans contra frigus & famem se defendebat, donec, in fine Aprilis, nîue solutâ, peruijs iam factis alpibus, quosdam audiret in vicino colloquentes, iisque se comitem præbuit ad peregrinationem suam cōplendam. Hæc Richeomus.

§. IV.

Cur noxia animalia condiderit Deus?

Ergo,

Ergo, si vult Deus, serpentes, quos in aliorum supplicia immisit, in auxilia immittit aliorum. Nullius igitur temeritas accusare debet Mundi Conditorem, quòd noxia animalia creârit, quemadmodum Manichæ⁹ quidam, apud D. Augustinum, simplici cuidam Catholico, Deum malum esse, persuasit, quòd muscas, quas ille tunc infestas patiebatur, condidisset. Hunc errorem fusè impugnat S. Chrysostomus, S. Edmundus, S. Damascenus, Philo, & alij. Nemesij sunt ista: *Si aliqua sunt, quæ fructus non ferant, contráq; perniciem homini important, sciendum est, cùm quæ ad hominum vsus valent, primario loco creata essent, tum cetera omnia, quæ natura ferebat, esse condita; vt ne res vlla, quæ fieri posset, ab hoc opificio abesset. Quanquam ne ista quidem planè eiusmodi sunt, vt nullam ex ijs homo vtilitatem capiat. Nam etiam venenatæ bestiæ emolumentum illi faciunt, propterea quòd eis ad curanda vulnera ab illis ipsis illata, ceterósque morbos sanandos abutitur. Tales sunt theriacæ quædam compositiones, quæ vocantur, quas ratio excogitauit, vt per eas etiam illis dominaretur, & velut a deuictis hostibus commodum perciperet. Sed habet homo infinitas vires his contrarias a Deo acceptas, quibus arcere, &*

S. August. tract. 1 in Ioan. S. Chrys. hom. 12. ad pop. S. Edm. in Speculo Eccl. c. 6. tom. 5. Biblioth. Damascenus 2. Fid. c. 10. Phil. lib. de Prouid. Nemesius l. de homine. cap 2.

vlcisci, & corrigere eorum injurias poßit. Alia enim alios vsus habent, communiter tamen omnia ad hominis commoditatem natura conferunt, etiam illa, quorum alioqui nulla vtilitas appareat. Lactantius proposita hac Stoicorum, vt ait, responsione: *Quòd nihil sit, cuius non sit aliqua vtilitas, tametsi occulta plerumque lateat*, & ideò purgari Deum à calumnia, ex rerum noxiarum productione ipsi illata, scribit, hanc responsionem esse ineptam, & respondendum potiùs fuisse, istiusmodi mala facta fuisse, vt homo haberet, in quo datam sibi sapientiam & rationem exerceret. Est quidem hæc aliqua etiam ratio, sed tamen neque Stoicorum responsio est reijcienda, quàm tot SS. PP. & ipsæ experientiæ approbauerunt. Certè documenta & medicamenta ab eiuscemodi bestijs habemus. Si Scorpij malum est venenum, est & oleum Scorpij bonum. Quin idem Scorpius dum sauciat, sanat, si, in ipsò ictu, vulneri facto interatur. Certè qui dixit: *Dentes bestiarum immittam in eos: cum furore trahentium super terram atque serpentium*; idem etiam dixit:

Lactant. lib. de Ira. cap. 13.

Deut. 32. 37.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Psal. 90. 13.

§. V.

§. V.

Inaudita leonum ac luporum obedientia.

De dracone victo & contemptim interfecto, historia Danielis Prophetæ loquitur. Et de serpentibus, paulo supra docui. Idem etiam Daniel, inter famelicorum leonum rictus, in lacu, illæsus mansit. Abbas Sergius leoni, in via jacenti, panem porrexit, & recedere jussit, vt jumenta salua transire possent. Accepit leo panem & mandatum. Simonidem quoque Monachum, scribit Theodoretus, viatoribus in viam reducendis duos leones, è nemore aduolantes attribuisse, qui eos non deseruerunt, donec rectum denuò iter tenerent. Narrat Hugo Præmonstratensis Abbas, Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, cuidam puero ouium pastori petenti, in gregis custodiam, sibi canem dari, respondisse: *Cum lupus aduenerit, rapueritque, ex grege aliquid, jubeto ei, nostro nomine, ne quid attingat*, Felix simplicitas pueri fuit. Paruit Nortberto; ob quod, etiam lupus paruit puero. Iam lupus in gregem irruptionem fecerat, iam ouem ore arreptam asportauerat, cū puer præcepti memor cursu prædonem persequi & clamare imperiosissimè cœpit, vt domini ouem dimitteret,

Supra n. 2. & 3. Dan. 14. Io. Euirat. in prat. Spir. cap. 125.

Theodoret. in hist. Relig. cap. [illegible] Hugo Præmonstr. in vita Norberti cap. 73.

ſic dominum mandare. Audita hac voce, lupus ouem illæſam reddidit. Eſt ſcilicet ita, qui Deo obedit, etiam creaturas facit ſibi obſequentes. In ſtatu juſtitiæ originalis, omnia animantia, quantumuis fera, hominis imperio erant ſubiecta. Quod idem obtinuêre multi viri ſanctitate præditi, quibus beſtiæ ad nutum paruerunt. Admirandum eſt, quod, in Chronico Minorum legitur, de S. Franciſco. Lupus quidam fame rabidus ciuitatem Eugubinam velut obſederat; vt nemo vel ingredi, vel egredi, ac ne comitatus quidem, poſſet. Superuenit D. Franciſcus. Audita feræ immanitate, ſtatuit vrbem liberare. Eo ad beſtiam in campum prodeunte, vndique ciues è turribus atque feneſtris, tanquam ad funeſtum prælium, proſpexêre. Vix in conſpectum belluæ venit, cũ illa truculentè in eum irruit. Expalluerunt, qui ſpectauerant. At Franciſcus venientem hoſtem vltro, & nominatim vocauit, ferocientémque ſigno crucis compeſcuit. Vidiſſes miram illico metamorphoſin. Nam lupus extemplo caput dimittens, neque aliter ac ſi in agnum eſſet mutatus, ad S. Viri pedes ſeſe proſtrauit. Ita ſupplicem, de illata vaſtitate, verbis acribus caſtigauit, expoſi-

Chron. Minor. lib. 10. cap. 29.

tis ci-

tis ciuium querelis. Postea indicauit ei, venisse se, vt pacem inter ciues & ipsum componeret. Pacis conditiones erant, vt lupus posthac nulli damnum inferret, ciues ei non nocerent, sed injuriarum obliuiscerentur. Addidit, fore, vt alimenta nunquam deessent. Post hæc audita, & velut intellecta, lupus capitis inclinatione, aurium, caudæ, & totius corporis gesticulationibus annuebat, vt signis eiuscemodi omnia approbare videretur. Quin & petenti dexteram in signũ fœderis, sancto viro dextrum pedem porrexit; inuitantémque, in oppidum, vt coram pactas conditiones firmaret, velut agniculus, secutus est. Fit concursus totius ciuitatis. *Ibi D. Franciscus grauiter denunciauit populo, huiusmodi plagas à Deo immitti puniendis mortalium criminibus; alios esse in inferno lupos; rabiem inferni barathri ardentisq; fornacis voraciorem rictu infausto huius belluæ, quæ præter vitam mortalem, auferre nihil posset. Tunc exposuit, quas cum lupo extra portas iniisset conditiones vtrimq; pactas. Easdem probarunt ciues. Iisdem quoque indicijs, quæ ediderat, assensus est lupus, pedémque rursus poscenti B. Francisco eleuauit, & in eius manu reposuit. Omnes lætitia exilientes benedixerunt Dominum.*

Neque hactenus tantùm pertinuit cicuratio. Siquidem, ab eo die, lupus quotidie, canis blandidissimi instar, vrbem obiuît, atque ad singulorum fores subsistens, alimenti sui portionem ostiatim emendicauit. Quocunque ibi, gratissimus adueniebat, & cum applausu, in omnium ædibus, excipiebatur. Quódque mireris magis; nullus vnquam eum canis allatrauit, nulli & ipse vnquam ferox visus est. Duos annos id miraculum tenuit; postea lupus desijt viuere. cum magno populi luctu; nam in eius innocentia plebs D. Francisci intuebatur sanctitatem.

§. VI.

Insignis aquilæ & lupi gratitudo.

Quid autem dubitemus de eiuscemodi facto, cum *non sit impossibile, apud Deum, omne verbum?* Possunt homines dicere: *Reddam ego te, ex fera, fame mansuetem*; & Heliogabalus, teste Lampridio, *habuit leones & leopardos, quos edoctos, per mansuetarios, subitò ad secundam mensam jubebat accumbere*; cur id Deus non posset? cuius clara est promissio: *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c. serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

Plaut. Asinar. Lamprid. in Heliogabalo.

Marc. 16. 17.

Ser-

Serpentes tollent, inquit Theophylactus, *sicut Paulus viperam in manu sustulit, nihil ab ea offensus. Et si mortale quiddam biberint, non nocebit eis. Sæpe enim & hæc facta sunt, vt in historijs inuenimus. Multi enim & venenum bibentes, per signaculum crucis, illæsi conseruati sunt.* Atque, vt hæc tanta miracula fide sint digniora, ea naturæ vis est, ea industria artis, vt ipsum virus prosit. Nam & in veneno inest medicina; & perniciosissimæ animantes sanare possunt, cœlo dirigente. Cuius etiam beneficio bestiæ hominem, contra bestias, defendunt. Nam, contra serpentes, hominem ab aquila defensum Crates Pergamenus historia insigni docet, quam etiam Stesichorus Poëta poëmate prosecutus est, & AElianus, in hunc modũ recitat. *Decem & sex viri frumentum in area perticis excutientes, in maximis solis ardoribus, cum ardentissimè sitirent, vnum ex suis, vt aquam de proximo hauriret fonte, miserunt. Is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat. Vbi verò ad fontem venit, offendit aquilam quàm strictissimè, cautéq; serpente circumplicatam, iam iam proximam, vt strangularetur. In eam enim aquila inuolauerat: veruntamen non compos voti &*

Theoph. in cap. 16. Marci. Act. 12.

Ælian. l. 17. c. 37. de animal.

insidiarum, in ea ipsa expugnanda, euaserat: neque pullis, vt Homericè dicam, epulas attulerat: sed spiris illius, ceu laqueis, circumuenta, vicina erat, ad pereundum. Agricola, vel quòd non ignoraret, vel quòd auditione accepisset, Aquilam Iouis nunciam & ministram esse: & item, quòd egregiè teneret, feram & improbam bestiam esse serpentem, falce eàm dissecuit: & vinculis aquilam, vnde effugere non poterat, exoluit. Quúmq; his obiter gestis reuertisset, atque haustâ aquâ vinum temperatum omnibus ministrasset; ij quidem auidißimè copioséq; in prandio bibere ingrediuntur: is autem, qui aquam hausisset, iam post illos bibiturus erat. Ad labia igitur poculum cum admouisset, seruata aquila circum locum illum etiam nunc versans, vt hanc mercedem suæ salutis persolueret, sic in poculum inuolauit, vt potio effunderetur. Ille, quòd grauiter sitiret, indignatus ait: Hánene gratiam, cum sis illa (nam auem recognoscebat) tuo conseruatori refers? itáne Iouem gratiarum inspectorem & præfectum vereris? Quum hæc locutus in siti, se ad alios conuerteret, videt ex venenata potione palpitantes, extremum spiritum efflare. Serpens, vt conijcere licebat, suo veneno fontem imbuerat. Itaq; redemptionis prœmium ei, qui se conseruasset, Aquila cum pari salute

compen-

compensauit. Quod beneficium longè inexpectatius est in lupo, qui *puellam adultam inuasit, dentibus brachium illius tenens; quàm cum secum traheret, quoties illa clamare cœpit, clamantem duriùs pressit, & tacenti pepercit. Quid plura? ducta est ab eo in siluam ad alium lupum, cuius gutturi os fuerat infixum; qui cũ nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellæ in guttur hiantis mittitur, à qua os, quod inhæserat, extrahitur. Sanatus verò mox cum suo collega puellam ad villam propriam reduxit.* Cæsarius l.10. c.66.

§. VII.

Aristomenem aquila portat, vulpes carcere liberat.

Verùm hoc iterum, vti & aquilæ commemoratæ, gratitudinis & relati beneficij exemplum est; alia aquila, beneficio non accepto, benefica fuit; quin & vulpes, licet inuita, sed à Mundi Domino vel docta, vel ducta. Siquidem Pausanias author est, Aristomenem, miro ab aquila modo, è Ceada (sic altè dehiscentem foueam vocabant) liberatum. Cuius rei historia cum insolens sit, ac auditu perjucunda, placet verba scriptoris apponere. *Aristomenem*, ait, *qui sæpè aliàs, idem & tunc Deus seruauit: cuius, qui res gestas magnificentiùs extollunt, aduolasse* Pausan. lib. 4.

aquilam

aquilam dicunt, quæ cadentis corpus paßis alis subiens, ita illum liberauerit, vt omni ex parte illæsus ad eius barathri ima delatus fuerit. Fato certè nescio quo exitus ei è tetro illo hiatu monstratus est. Nam cum in imo iam specu constitisset, veste obuolutus decubuit, extremam, quam proximè adesse putabat, vitæ horam expectans. Triduum erat ibi iam commoratus, cum audito strepitu quodam, retecta facie, per sublustres tenebras, vulpem vidit cadauera appetentem. Cogitans itaq; per ostiolum omnino aliquod bestiam illuc penetrasse, vt ea quantisper propiùs accederet, operiebatur. Id, cum, vti volebat, accidisset, feram manu altera comprehendit; altera, quoties se illa conuertisset, chlamydem mordicus prensandam obijciebat, & currentem quidem, qua se via dabat, cursu consequebatur; trahendum verò se belluæ, per inuia, præbebat. Vidit postremò cuniculum nihilo ampliorem, quam vnde posset vulpes euadere, per quem luminis se aliquid ostendebat. Per illum quadrupes, vt primùm dimisit eam quasi manu missam Aristomenes, lustrum suum repetijt. At ille angustam illam, & minimè peruiam cauernulam manibus aperiens intrans, ad suos tandem euasit. Fuit eius fortuna, cum captus est, mira & inopinata; maior enim viri spiritus

ritus erat, maior, ex rerum gestarum magnitudine, audacia, quàm vt quisq; capi illum posse sperare debuerit. Sed nihil fuit admirabilius; nullum certius præstantiæ huiusce argumentum, quàm quod è Ceada elabi potuerit. Huc vsque Pausanias. Nimirum sicut, qui, castigante Deo, *introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, & partes vulpium erunt;* ita vicissim, pro quibus Deus pugnat, vel ipsis vulpibus hostes vastabunt, quod legimus Samsoni accidisse; qui, per faciferas vulpes, longè lateque incendit segetes Philisthæorum. Psl.62. 11. Iud. 15. 4.

§. VIII.

Omnia homini seruire, si Deus velit.

Ex eiuscemodi historijs elucent varia diuinæ bonitatis judicia. Nam 1. ostenditur, Deum in omnibus creaturis esse laudabilem, etiam ijs, quæ noxiæ vocantur. Hinc Dauid non ait tantùm: *Laudate Dominum de cœlis*, &c. sed etiam: *Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi:* nec *reges* duntaxat, *& omnes populos, Principes, & omnes judices terræ*, sed etiam *bestias, & vniuersa pecora*, itémque *serpentes* ipsos in Dei laudes trahit. 2. Si vtilia magis laudamus, demonstrat talibus euentis vniuersi Gubernator, posse se etiam de ipsis pernitiosis eruere hominum emolumenta, Psl. 148. 1.

lnmenta. Hoc nimirum est etiam inter homines discrimen. Probi norunt etiam malis bene vti: impij autem ipsa bona rapiunt in malum. 3. Hinc intelligimus, omnia homini seruire, si Deus velit; dominiúmq; illud ab initio hominibus datum, in peccati pœnam à justo judice, subductum aut limitatum. Manichæi solebant dicere: *Quomodo accepit homo potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum & ferarum, cum videamus à multis feris homines occidi; & à multis volatilibus nobis necessaria rapi, quæ volumus vel vitare, vel capere, & plerumq; non possumus? Quo modo ergo in hoc accepimus potestatem? Hoc illis primum dicendum est,* ait S. Ambrosius, *quòd multum errant, qui post peccatum considerant hominem, cum in huius vitæ mortalitatem damnatus est, & amisit perfectionem, qua factus est ad imaginem Dei. Sed si dominatio eius tantum valet, vt tam multis pecoribus imperet: quamuis enim à multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi: à nullis tamē domari potest, cum ipse tam multas, & prope omnes domet. Si ergo hæc hominis dominatio tantum valet*, quid censendum est in statu innocentiæ valuisse? *Timemus*, inquit Ioan. Constantinopolitanus Episcopus, *bestias*

S. Ambros. li. 1. de Genes. cap. 18.

bestias & pauemus, non contradico. Sed non hoc ostendit legem Dei esse mendacem. Ab initio enim non ita res erant dispositæ, sed timebant & tremebant, & subyciebantur Domino. Et quoniam à fiducia decidimus pro peccato, profectò & ab honore. Vnde hoc manifestum est? Adduxit enim Deus bestias ad Adam videre, quid eas vocaret, & non resiluit Adam tanquam timens. Hoc vnum signum, quod non fuerint homini ab initio terribiles bestiæ. Secundum aliud isto manifestius, quæ fuit ad mulierem, per serpentem disputatio. Si enim essent bestiæ terribiles hominibus, non vtiq; mulier viso serpente mansisset, nec accepisset consilium, non ei cum tanta sermocinaretur fiducia, sed statim ad eius expauisset & resiluisset aspectum. Nunc autem & disputat, & non timet. Nondum enim erat timor iste, sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea, quæ honoris sunt. Quamdiu quidem habebat ad Deum fiduciam, terribilis bestijs erat; sed quia offendit, extremos etiam conseruorum suorum iam pauet.

Apud S. Ambros. lib. 1 contra Iuliã.

§. IX.

Cur bestiæ hominibus cœperint nocere?

4. Hinc discimus, penes Deum esse, vt nos creaturæ illius vel lædant, vel defendant. Itaque *de generibus animalium venenosis &* **S. Am-**

perni-

brof. li. 3. super Genes. cap. 15.

perniciosis quæri solet, vtrum post peccatum hominis, ad vindictam creata sint, an potius, cum iam creata essent innoxia, non nisi postea peccatoribus nocere cœperint? Neq; hoc mirum est; quandoquidem in temporibus huius vitæ & laboriosæ atq; ærumnosæ, cum sit nemo ita iustus, vt se perfectum audeat dicere: vnde exercendæ atq; infirmitate perficiendæ virtuti, necessariæ sunt tentationes & molestiæ corporales: tamen & S. Daniel, inter leones saluus atq; intrepidus vixit: qui non vtiq; Deo mentiens in oratione, non tantùm peccata populi sui, sed etiam sua fatetur. Et Apostoli manui mortifera vipera inhæsit, nec læsit: Potuerunt ergo etiam ista creata nihil nocere, si caussa nō extitisset, vel terrendorum puniendorúmque vitiorum, vel probandæ perficiendæq; virtutis: quia & exempla sunt demonstrandæ patientiæ, ad profectum cæterorum: & ipse homo sibi in tentationibus certiùs innotescit; & iustè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est, per voluptatem, fortiter recipitur, per dolorem. Totum ergo penes Deum est, vt nos bestiæ lędant, vel protegant; protegunt, cum jubentur; non læderent, nisi nos earum Authorem læsissemus. Postquam contra illum pugnauimus, non iam grus contra pygmæum duntaxat, sed mus quoq;

pugnat

pugnat contra elephantum; seu, vt apertè dicam, mure minor musca mordere audet Pharaonem, elephanto superbiâ maiorem.

§. X.

Bestias etiam nocendo prodesse.

5. Deniq; negari non potest maxima mortalibus damna ab eiuscemodi belluis sæpe prouenire. Alibi leones itinera faciunt infesta; vrsi alibi: alibi lupi: &, in Paraquaria, integri siluestrium equorũ exercitus, quidquid offendunt, proterentes. Sed & draconum metuendæ sunt insidiæ; tigridum item velocitas, immanitas leopardorum. Sunt in sacris & profanis innumeræ historiæ. Nihilominus hæc ipsa tam præsentia vitæ discrimina summam pariunt vtilitatem. Nam incommodis maximis, quæ inferunt, fastidium pariunt vitæ terrestris, desideriúmque excitant, vt ex hac peregrinatione ad cœlestem patriam, ex hac lachrymarum valle ad æternam securitatem, ad summum illud bonum, quod omni molestia carebit; tantò impensiùs anhelemus. Quo desiderio roborati martyres ad bestias damnati, inter leonum rictus, cum S. Ignatio Episcopo Antiocheno; inter virulentos angues, cum D. Thecla; inter mille aliarum belluarum lani-

atiis, cum alijs Dei athletis, exultauerunt. Et vniuersim, esse maximum bonitatis Dei & affectûs, in optimos quosque, quos hîc varijs incommodis exercet, argumentum, præter D. Dionysium, & alios, Gazæus declarat. Philo ita loquitur: *Oportebat, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia bonitatis summæ, quæ Deus est.*

Areop. De diu. non c. 8. S. Aug. q. 82. ex 83. Gazæus in suo Theophrasto. Philo l. 2. Allegoriar.

CAPVT XV.

Mirabile diuinæ æquitatis & bonitatis, per Lupos, auxilia facientis exemplum.

§. I.

Sequentis historiæ Author laudatus.

QVoniam superiore capite ex profano authore ostendimus, diuinam bonitatem, etiam in vulpe liberatrice, succurrentem, atque è barathro, siue Ceadâ educentem, addam hîc, quod ab homine fide digno, pio, docto, & verè Religioso, eóq; Societatis nostrę candidissimæ mentis sacerdote, ac sene audiui, quem meritò omnes ex Iouis tabulis testem dicebant esse potuisse, *in quo dolus non erat*, & in cuius ore *non est inuentum mendacium.* Is, cùm aliquando nobis sermo, de varietate Dei homines

Io. 1. 47. Apo. 14. 5.

mines ad Societatem nostram vocantis, incidisset, cum alto suspirio, mihi dixit, narraturum se admirabilem vocationem, stupendo modo, miserantis Dei; si ei promittere velim, me nomen eius non interrogaturum, de quo historiam verissimam vellet recitare; nam & nomen sibi constare, & notum virum; sed caussas esse, cur non proderet. E quibus dictis, aliisque rebus, quas de eo noueram, aliud conijcere non potui, quàm illum ipsum esse, cui id euenisset. Præsertim quia sæpius postea rogantem me, vt nomen & personam interrogandi potestatem faceret, ille ipse me longè vehementiùs rogauit, ne interrogarem: vt proinde visus sit mihi, malle Deo taciturna humilitate, quàm apud homines, vocatione prodigiosa notus esse. Quare, imitatione D. Ioannis Euangelistæ (qui & ipse, quæ de se refert, tanquam de tertio, solet commemorare) eum, cui ipsi omnia reliqua narrationi adiuncta quadrabant, in hunc ferè modum, & ordientem, & perorantem, sitientissimis auribus, audiui.

§. II.

Lupus adolescentem, ex arcto carcere, & valida latronum manu, Dei prouidentia missus liberat.

Adoleſcens erat, in terra Germania, non obſcuris natalibus oriundus; neque opibus deſtitutus, ſi eum parentes pecunijs corrumpere voluiſſent. Sed illi alienis exemplis cautiores, cùm eum, à ſe, ad ſtudia litterarum amandarent, quia intelligebant, quàm magnum ſit vectigal parſimonia, bonæ frugi filium facere maluerunt, quàm comeſſatorem. Itaque ſcholas adeunti rerum neceſſariarum nihil deeſſe patiebantur, ſed neque luxu diffluere ſinebant. Sic factum eſt; vt breui, in ſcientijs & pietate, pari progreſſu, proficeret, deſiderióque ſe magis perficiendi incenſus animo circumſpiceret, qua viuendi ratione potiſſimùm poſſet etiam in alios olim ſcientias ac pietatem deriuare. Quia autem virtus illi placuit, mores primùm ſeculi diſplicuerunt, mox ipſum etiam ſeculum deſipuit. Statuit ergo animum conferre ad Ordinem aliquem Religioſum, in quo & bibliothecæ vigerent, & morum diſciplina non negligeretur. Itaque multarum Religionum ſtatuta, leges, veſtiendi & habitandi genus; ſed præcipuè Religioſos ipſos etiam atq; etiam conſiderauit. Nec diu anceps ſtetit. Illorum ſe decreuit vitæ addicere, quorum aſſueuerat doctrinæ; ratus nullos ſibi

los sibi esse perspectiores, quàm quos in schola atque de cathedra noscere didicisset. Certa iam erat illi hæc sententia; & quiescebat animus, immò, *nunc dij beati*, gaudens dicebat.

Ceterùm quis nescit cereas esse mentes adolescentûm, præsertim cùm nullum ducem directorémue admittunt consiliorum? Nam sicut vites vlmo non alligatæ in terra jacent, & computrescunt ignauæ; ita etiam florentissimorum juuenum animi, si non habeant, à quo erigantur, in fructus speratos non maturescunt: aut, quemadmodum excussa è silice scintilla, etiam in bonum fomitem incidens facilè extinguitur, si flatu oris non foueatur; ita ardentes hominum etiam proborum cogitationes diuino igne conceptæ citò vanescunt, si illis non detegantur, quorum ignito eloquio possunt in validam flammam promoueri, sed veluti cinere sepultæ prunæ sepeliantur, & suffocentur. Itaque & huic adolescenti euenit. Pasetis semiobolus dici poterat. Spem in flore fecit, in messe propemodum decepisset. Nam, vt sibi prudentulus videbatur, mentis suæ arcana quàm secretissima habuit, consiliúmque religionis ineundæ, neque illi

quidem, qui ei à ſacris confeſſionibus erat, patefecit. Interim non defuêre ſocij, qui in contraria omnia eum impellerent. Inuitabant ad hortos ſuburbanos; trahebant ad hauſtus frequentiores; inde ludo chartarum eum implicabant; tandem ad choreas ventum eſt, &, pro virginibus Muſis, virgines interpoles placuerunt. Sicut ventus nubes abſtergit, ita delicię omne Deo, in religione, ſeruiendi conſilium abſtulerunt. Iam ſæpius abeſſe lectionibus, morbos fingere, negotia prætexere; cauſſari occupationes, negligere res diuinas, nimium curare res humanas; emere chirothecułas, & ſindones precioſas; cultiùs incedere, & in Nympharum cultus pecunias perdere, neque libros quidquam penſi habere, denique alius eſſe paſſim dicebatur.

Neque latebat hæc mutatio parentum vigilantiam, qui mirabantur, ſumptus priores non ſufficere, ad ſe rariùs à filio litteras venire; earúmque loco varias vndique monitiones, ſuſpiciones, querelas emergere. Igitur non dormiendum rati, gnatum vnicè dilectum ad alias Athenas migrare jubent, cum loco atque ſocijs ſperantes vitia quoq; deſerturum. Et, vt ſeueritate terrorem injicerent,

cerent, viatici exiguitate puniunt. Viam igitur pedes, & ſolus ingreſſus, quâ

Prominet Hercynia confinis Rhætia ſiluæ,

rectum quidem tenuit tramitem, ſed opinione prolixiorem. Itaque die deſtitutus, angi animo cœpit, & compendia, non ſine diſpendio quæritare. Sed nec in eo ipſo diſpendio diuina conſilia defuêre. Nam Deus *accelerauit coruſcationes emittere judicij ſui;* Eccli. 43. 14.
& errore errorem voluit corrigere, vt animam illius in viam reduceret, cuius pes exorbitaret. Per inuia multa, per teſqua denſa, per paludoſa, cæca illum nox duxit, moleſtiſſimis ambagibus, donec tandem, per rariora arborum, conſpexit, neſcio vnde, lumen quoddam allucere. Hominum habitationem inuenturum ſe ratus, ſequi cœpit, quò radij inuitabant, tandémque difficulter eluctatus ad magalia peruenit, in quibus exiſtimauit, paſtores cum pecoribus ſuis habitare. Adit. pulſat. ſperat. Sed mox intelligit, ad Orci ſe januam delatum eſſe. Nam ad oſtium, cum lumine, progreſſa anus, vbi juuenem vidit, haud illiberalem, miſerta periclitantis, illico faceſſere juſſit, & aliò properare. Iuuenis inhumanitatem ruſticæ Baucidis interpretatus, impenſiùs rogare

institit, vt id noctis admitteretur, promittens, se sine molestia mansurum, stramine, aut fęno, in lecti vicem, contentum esse posse, &, si quid panis aut offæ daretur, pecuniâ abunde compensaturum. Non est, mi fili, aiebat anus, quòd ista excuses: mihi à te nullum metuo incommodum; tibi, tibi metuo, cui certum est exitium, si hîc diuertis. Non sunt hæc pastorum mapalia, vt arbitraris, non colonorum casæ, sed immanissimorum latronum receptacula; qui, cum bona tua fortuna, nunc absunt, aurigæ insidiantes, quem eorũ vnus, in pago proximo explorauit, hac nocte, transiturum. Iuerunt ergo ad funestam homicidij tragœdiam, cui tu tuo exitio epilogum addes, si vel hîc permanseris, vel in eorum hinc abiens incideris crudelitatem. Dixit hæc anus, & flens iuueni, manum simul ac panem dedit, lachrymis testata dictorum veritatem. Sed, vt periculum declinaret, semitam ostendit, in diuersum à latronibus ducentem.

Quid tunc animi fuisse desertissimo adolescenti putatis? Ibat solus. viam ignorabat. tempus erat nocturnum. magna siluæ densitas & longitudo horrorem incutiebant; sola latronum formido ab itinere atq; inedia fa-

dia fatigato pedes restaurabat; cui accessit creperum lumen lunæ iam iam sese supra terras attollẽtis. Viam igitur volare potiùs, quàm ambulare cœpit, timore pedibus alas faciente. Spatium iam sufficiens se existimauerat euasisse, cùm repentè animaduertit, euenisse sibi, quod sphæræ per præcipitium volutæ solet contingere: ad calamitatem enim suam fuit celer. Nam in eos ipsos latrones, quos fugit, incidit, adhuc occisum aurigam terra adobruentes. Illi, siue quia, inter nocturna silẽtia, strepitum euntis perceperunt; siue quia per emissitios ac venaticos excubitores prædam odorati; extemplo juueni manus iniecêre. Frustra ille elabi, frustra innocentiam, frustra inopiam, frustra adolescentiam obtendere conabatur. Tanquam molossi Anglici metuentem ceruam, cinxerunt, insolentissimísque clamoribus, veluti latratibus externârunt. Ibi mox prædonum vnus, qui ceteris videbatur immanior, mutato sermone, fictitiáq; lingua, & syllabis præposterè pronunciatis, ceteros adhortabatur, vt pecuniâ, vestibúsque detractis contenti, vitam tam teneræ donarent ætati. Cui alius mollem animum, & insulsam misericordiam opprobrans dicebat:

proditorem ſe dimiſſuros, ſi viuum dimitterent. Tertij conſilium placuit, ſuadentis, vt vacuum è curru dolium deijceretur, cui, velut caueæ incluſa præda, tantiſper ſineretur viuere, donec, cœna repleti, ad eum, cum ludo ac voluptate, ad plures mittendum reuerterentur. Hæc dum ſuâ lingua dicerent, intelligi ſe ab adoleſcente non putabant. At ille inter æquales dudum ſic nugari didicerat: omnia proinde intelligebat.

Vix pedibus in eam ſententiam iuerant, cùm illico dolium de curru, & adoleſcens in dolio fuit. Diſcedunt ad latibulum ſuum latrones. Adoleſcens in capulo, non in dolio ſe reperit, viuúmque ſepultum credit. Et, vtinam, inquiebat, ſepultus eſſem, nec in liberam mihi auram prodeundum foret! Nihil metuerem, lanienam non expectarem, neque carceris mei anguſtias ſentirem. O quàm crudeliter mecum ludent! ô per quot vulnera, ſanguis, exibis! ô quot ſicas purpurabo! aut fortaſſe de tot aridis arborum ramis ignem ſuſcitabunt, qui illis luceat, mihi ardeat? Certè immania mihi minati ſunt. Nihil tam crudele eſt, quod timere non poſſim ab ijs, quibus cruor in deſiderio; homicidia ſunt in voluptate. At quid parentes

tes mei charissimi facient? vbi me quærent? Nulla vnquã Ceres pro sua Proserpina tam solicita fuit, quàm mea pro me mater erit: quæ si me reperiri volet, ad Proserpinam ipsam & generum Cereris debebit descendere. Sodales verò mei, illi dulcissimi compotores, quò me locorum deuenisse dicent? Sed non curanda mihi est ampliùs fama, postquam actum est de vita. In singula momenta cultrum expecto, cur moror, quid de me dicant homines? Hæc nox in ęternam mihi noctem claudet lumina. Vixisti, miser. Et, vt mortem magis sentias, in flore ætatis tuæ, occumbes. Huccine nascimur, vt pereamus? & desinimus, postquam vix cæpimus viuere? ô spes inanes! ô stulta mortalium vota! destinatis, quid in senecta ætate facturi sitis, & in prima iuuentute è vita exturbamini. Sed cur hæc fiunt? naturámne accusabo, an Deum? neutrum meritò possum. Natura me diutiùs sineret vitam prorogare. Deus, sine quo, ne capillus quidem de capite nostro perit, vtique caussam habebit, cur ita permittat. Sine illius voluntate, ne passer quidem de tecto cadit; multò minùs ego, sine illius nutu, in latrones incidi. Ita me magistri ab ineunte pueritia

doceu-

docuerunt. Qua verò id permisisse de caussa putem? Dudũ memoriæ iussus sum mandare aureum illud dictum: *Non iudices contra iudicem: quoniam secundùm quod iustum est, iudicat.* Cur igitur hanc meam calamitatem iustam esse putem? Lusi? sed permissa est adolescentibus honesta relaxatio. Potaui? sed semper citra ebrietatem. Multa puellis donaui? sed mea erant. sed non memini, limites honesti me transilijsse.

Eccli. 8. 17.

Hæc talia omnia, cùm infra miseriæ suæ meritum esse existimaret anxius adolescentis animus, tandem, velut orta luce, clariùs videre cæpit fundum totius calamitatis. Nam meminens, se antehac à Deo vocatum ad Societatem IESV ingrediendam, applicatáque ad aratrum manu, retrò respexisse, enimuerò etiam procul resilijsse, illico in has voces erupit. Ah video, Domine, quid in me plectas. Contempsi te: hinc reus sum. Extendisti & porrexisti mihi manum, non aspexi. Annuisti, renui. Habuisti, deserui. Præter æquum igitur nihil facis, si deseris desertorem, & vitam mihi abscindis illam, quam tibi viuere negaui. Hoc dudum, prædixisse, te, audiui. Tua enim sunt illa: *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non*

Luc. 9. 62.

Prou. 1. 26.

& non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas; & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: in quali ego nunc ſum. Suſcipiam igitur, quod merui, & qui religiosè nolui viuere, conabor ſaltem religiosè mori: &, dum ſpiritus ſupereſt, inconſtantiam meam non deſinam plangere; peccatáq;, quæ lachrymis nequeo delere, ſanguine ac nece lubens expiabo. Dixerat hæc calentibus verbis adoleſcens, cùm ei in mentem venit, non ita ad extremum omnia ducta eſſe, vt Deo non ſuperſit modus ſuccurrendi. Subibat; è medio leonum lacu, Danielem; ex incendio Babylonico, tres pueros; ex ipſis ceti viſceribus viuum atque incolumem Ionam Propheten eductum eſſe. Occurrit & illud: *Dominus* Ion. 2. 1.
mortificat & viuificat: deducit ad inferos, & 1. Reg. 2
reducit. Hinc ſpes illi accenſa, hinc oratio in hunc ferè modum effuſa eſt: *Cùm angu-* Ion. 28.
ſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum: vt veniat ad te oratio mea. Itémque *Viuet anima mea, & laudabit te: & judicia tua*

adiuua-

Psal. 118. *adiuuabunt me.* Móxque voto se obstrinxit; in proximo Societatis domicilio, si ferale illud claustrum manúsque sanguinarias euasisset, se petiturum, vt in album Sociorum reciperetur; addiditq; illud Propheticum: *Quæcunq; voui, reddam pro salute Domino.*

Ioan. 2. 10.

Vouerat, & extemplo serenitas menti reddita est, nondum etiam cognita securitate. Erat tunc non sine luna cœlum, & per os cupæ radij clariores in captũ incidebant. Ea dolij apertúra, pro fenestra, vsus; ad luporum accurrentium vlulatum excitatus prospexit. Ibi nouus eum horror inuasit; nam complures vidit lupos dolium vndiq;, in omnem partem, circumeuntes, & naribus hariolantes, quid intus esset. Cœnam nimirum famelici, ex odore, indagabant. Ibi demum cæpit iuueni carcer suus esse charus, cuius effractores nolebat esse lupos. Sed intelligite potentem Dei sapientiam atque bonitatem. Quàm ex exiguo malo ingens procurat bonum? Ex metu iocum. ex ioco quantum attulit beneficium? Dum lupi circa dolium súsque déque vagantur, casúne dicam, an diuina manu, vnus appendiculæ summitatem, per os vasis, immersit, eáque

faciem

faciem adeò ipsam intus prospectantis leniter demulsit. Ibi, seu natura, seu bonus potiùs Genius suggessit, extemplo iuuenis palpum vtraque manu arripit, caudámque lupi omnem, aduersis pilis, intro ad se trahit, ante, interitum suum, vltimò lusurus. Lupus, vbi sè captum sensit, primò horrendùm cæpit vlulare; ad quam vocem ceteri omnes in fugam se dederunt; deinde conari instititit, an se posset è vinculis liberare. Lepidum erat, funesto tempore, certamen, hinc lupi trahentis, inde retrahentis adolescentis, lupúmque, quanta maxima vi poterat, tenentis. Bestia, quò magis se se astrictam colligatámque animaduertebat, eò magis nitebatur in contrarium euadere; tantóque impetu ferebatur, vt doliũ ipsum, vnà cum suo incola, post se, ad abruptum aliquem saxosúmque locum raperet. Ridebat intus vector, mirabatúrque, tam citò è cupa rhedam esse factam, & ex victima aurigam. At vbi, acto, per præceps, & lupo, & dolio, impactóque identidem in scopulos, ac tandem etiam rupto solutóque vase, se in auras editum vidit, lupum manu misit; qui, libertate accepta, ne respiciens quidem diffugit.

Adolescens autem in pedes pariter & spé euaden-

euadendi erectus, per auia & inuia, se quàm
longissimè inde proripuit, inter currendum
Deo laudes dicere non oblitus, sed illud,
aut aliud quid simile identidem vsurpans:
Ion. 2 3. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Nam; quod voui; exequar, non executurus; nisi me in extremum discrimen coniectum sapere docuisses: Nullus enim vnquam Diogenes; in dolio tam vtiliter est philosophatus. Hæc ærumna mea, fuit schola tua. Maxima gratia fuit; in latrones incidisse; illi me ex laqueis diaboli, ex ipsis incendijs inferni, eripuerunt:
Psal. 118. *Cognoui, Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Hæc angustia cor meũ dilatauit. Hæc nox mentem meam illuminauit. Proximus morti, didici viuere. Viuam; &, vt tibi viuam, Domine, Mundo moriar. Hæc talia, per totam noctem, cum Deo, & secum est locutus; diéque reddita; aliò, quàm priùs iter instituit. Nam ad proximum Societatis Collegium profectus, admitti in tirocinium flagitauit. Admissus est; & in religione constanter viuens; Deo,

pro

pro tam mirabili vocatione, nunquam ſe ſatis eſſe gratum poſſe, agnouit, vt qui eum, per errorem ſiluæ, in viam ſalutis; per captiuitatem lupi, in libertatem; per latronum pericula, ad veram ſecuritatem reduxiſſet. Dubium non eſt, latrones poſtea ad iuuenem è cuſtodia eximendum atque contrucidandum reuerſos capere non potuiſſe, quibus alis, dolium è loco ſuo auolârit: cum ne veſpertilio quidem, qui ſine plumis volat, volet ſine alis.

Scio conſuetum multis, vt Tellenis cantilenas canant, qui vtiq; hanc à me narratam hiſtoriam dicent, eſſe pulchram fabulam. Cum illis non contendam. Suo nimirum pede alios metiuntur: nam cum ita ſe gerant, vt nemo illis poſſit credere, etiam ipſi credunt nemini. Qui autem norunt, quàm ſit *mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, diuina opera, nequaquam humanis iudicijs temerant, ſed ſuſpiciunt ac venerantur dicentes: *mirabilia opera Altiſsimi.* Qui & alios complures *deduxit in via mirabili.* Nam prope ſimillimam hiſtoriam prolixè deſcribit Ludouicus Richeomus, de Triſtano, qui itidem priùs in latronũ manus incidit, quàm nuntium Mundo remitteret; immo præſentiori pericu-

Pſal. 67. 36.
Eccli. 11. 4.
Sap. 10. 17.
Ludouicus Richeom. in peregrino

Laureta-no. 147. periculo ereptus eſt. Etenim Vincentius, Theodoſius & Lazarus eum repererunt, in ſilua, *ſub ingenti & procera quercu, ſolo induſio tectum, terra porrectum, & inſtar eorum, qui rotæ ſupplicio afficiuntur, palis quatuor alligatum*, ac lupum manu tenentem, qui eum, cum alijs quatuor, deuoraturus erat, niſi diuinitus ereptus fuiſſet. Hiſtoriam curioſè jucundam, cum & longa ſit, & author in manibus habeatur, piget exſcribere. Sufficit, quod ego narraui, exempli ſimilitudine confirmauiſſe; eiúſque bonitatem laudauiſſe,

Iob. 9. 10. *qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus*; illiq; paruiſ-

Iſa. 12. 4. ſe, qui ait: *Confitemini Domino, & inuocate*

Pſ. 104. 2. *nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & pſallite ei; & narrate omnia mirabilia eius:* neque aliquid fortuitum vocate, ſi in caſum inopinatum inuoluamini; ſed agnoſcite hominis caſum, Dei eſſe conſilium; Fortunam mortalium, Numinis aut gratiam, aut pœnam; ſtultorum deniq; *Fata*, non eſſe, quod ipſi fingunt, tollentia, ſed punientia malè vſurpatam peccantium libertatem. Neque enim in caſibus humanis *Fortuna* aut *Fatum*, ſed diuinæ prouidentiæ judicia dominãtur, quibus alij vtuntur, alij abutuntur.

CAP.

CAPVT XVI.

Summa Dei etiam in malos bonitas, quàm immeritò nonnullos offendat?

§. I.

Pharisæi Christi bonitate offensi.

QVid miremur, his judicijs alios vti, alios abuti? cum nonulli ipsam DEI bonitatem trahant in malitię suæ nutrimentum. Quod videns Seruator, Ioanni renunciari jussit: *Cæci vident: claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Matth. 11. 6. Nempe fuerunt etiam tunc, qui, mortis occasionem acceperunt, vnde vitam haurire debuissent. An non enim miraculis tam splendidis, ad credendum moueri eos oportuit? illi verò scandalizati, etiam moti sunt, ad accusandum. Ea scilicet fuit Scribarum, ea Pharisæorum malitia, vt offenderentur, quòd *ad peccatorem diuertisset*; quòd *cum peccatoribus manducaret*; quòd *a muliere peccatrice se tangi pateretur*; quòd *sabbatis homines curaret*: denique *in principe dæmoniorum* dicebant, eum *dæmonia eycere*. adeò *petra* Isa. 8. 14.

Rom.9. 33. Luc.2.34. 1. Petr. 2. 6.7.

ſcandali, & lapis offenſionis, poſitus in ruinam multorum fuit: ſed non credentium. nam credentibus *lapis ſummus, angularis, electus fuit*, teſte S. Petro.

§. II.

Cur Deus ſæpe differat punire peccatores?

Tales Phariſæi etiam nunc reperiuntur, qui inde ſcandalum rapiunt, ex Mundi gubernatione, vnde maximè rapi deberent in admirationem immenſæ bonitatis Dei. Vt enim quibuſdam nimis ſeuerus, ita alijs nimis clemens eſſe videtur. Non repetam hîc, quod alibi attuli è D. Dionyſio, de Carpo Epiſcopo, Idololatram, & eum, qui ſe ab Idololatra ſeduci paſſus eſt, vita indignos judicante, ægréque ferente, quòd eos terra ſuſtineret. Ad cuius morem multi vindictâ ardentes, offendi ſe non diſſimulant, ſi non toties Deus ſua fulmina mittat, quoties homines peccant. Non habet Dominus iram tam compendioſam; longanimis eſt, patiens eſt, bonus eſt, miſericors eſt, juſtus eſt; differt, ne præcipitare videatur; patitur, vt det exemplum; expectat tempus, quia expectat pœnitentiam; quæ ſi non ſequatur, moram pœnâ compenſat. Hoc pertinet ad infinitam

D. Dionyſ. ep. ad Demoph.

finitam illius excellentiam, qui, quia in se optimus est, est etiam alijs summè bonus, bonitate, vt vocant, *respectiua.* Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ præditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione, ad quem vt nos dirigat perducátque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam caussa efficiens naturalis, conseruans, prouidénsque regit; & per quæ efficimur *diuinæ consortes naturæ*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquißimum columen* nominauit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere. **S. Dionysius cap. 3. diuin. nom.**

§. III.

Ex clementia Dei, bonitas illius agnoscitur, nostra excitatur.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare.* Sic multorum natura, aut malitia potiùs velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immò instar *decem cornua* **Clem. Alex. l. 1. Strom. c. 8.** **Apoc. 12. 3.**

 haben-

habentium diabolorum. Secunda caussa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens*: vel, vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cætera bona, vt amari possint, quasi colorans, & hoc ipso amabilia reddens.* Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia caussa est, vt homo, se, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia, confert, cum omnis boni caussa sit.* Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos se se copiosiùs effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Vbi D. Gregorius ait: *Tantò ergo ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Nam vtique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit digniorem

In Pimãdro c. 4.
Plotin. Ennead. 6. l. 7. c. 22.
Luc. 7. 47.

dignioriem, capaciórque fit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum ſtetit, cum vas non ſupereſſet; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri ſuæ oleum infundenti vaſa offerre potuerunt. 4. Reg. 4. 5.

§. IV.

Clementia Dei docet nos etiam in ingratos eſſe beneficos.

Quarta cauſſa eſt, ne nos à benefaciendo excuſemus, dicentes, littus fruſtra arari, & nequicquam in ſaxis ſeminari: eſſe enim homines quoſdam, ſicut ficum aridam, ſicut terram ſterilem, inutiles, ingratos, immò qui tanquam militares illi Leopardi, beneficijs peiores fiant. Quis actum libenter agit? quis AEthiopem lauare, aut laterem conatur? Hæc omnia refutat diuina bonitas, quæ quos redemiſſet, niſi etiam pro inimicis ſuis voluiſſet Dei Filium, in cruce, immolari? Philo, qui Hebræorum Plato dictus eſt, in hunc modum diſſerit: *Benignus cum ſit Deus, largitur bona omnibus etiam imperfectis, inuitans eos, vt æmulatores virtutis, atq; participes fiant, oſtentanſq; immenſas ſuas diuitias, quòd ſufficiant etiam ijs, qui non magnam vtilitatem inde capiunt. Hoc autem alijs rebus declarat manifeſtiſsimè; quoties enim pluit in* Matth. 5. 45. Philo. l. 1. allegor.

serm. 47. de verb. Dom. & mansuetudinem. Quare si, lapidandam dixisset, clamassent, eum tam misericordem, clementémq; non esse, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, vt qui legem Moysis violaret. *Sed Dominus in* S. Augustin. tract. 33. *respondendo, & justitiam seruaturus est,* inquit S. Augustinus, *& à mansuetudine non recessurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc scilicet vox justitiæ est: Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus. Audiuimus vocem justitiæ, audiamus & mansuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid est, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod sequitur: Vade, & ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccata, non hominem.* Sic veritas, sic sapientia, sic ipsa, cui calumnia perabatur, justitia, & adulteram pariter, & adulteræ accusatores emendauit. Illa bonitate correcta est; istis ad propriam conscientiam remissis, vel apertè in terræ puluere scriptum, vel tacitè in pectore dictum est: *Festucam,* Matth. 7. 3.

quæ

quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit. Sap. 7. 26.

§. VI.

Christus Magdalenæ, contra Pharisæum patronus; & cur vni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplũ offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieris; Pharisæus peccatricis delicta intuetur. Christus clementer, Pharisæus temerè & impiè iudicat; nempe putat, ignorare Christum, qualis sit mulier, cum ille Luc. 7. 38. S. Aug. l. 50. homil. 23.

non

ſerm. 47. de verb. Dom.

& manſuetudinem. Quare ſi, lapidandam, dixiſſet, clamaſſent, eum tam miſericordem, clementémq; non eſſe, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnaſſet; ſi non, lapidandam, ipſum igitur lapidandum, vt qui legem Moyſis violaret. *Sed Dominus in reſpondendo, & juſtitiam ſeruaturus eſt,* inquit S. Auguſtinus, *& à manſuetudine non receſſurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Abſit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, ſed quærere, quod perierat. Quid ergo reſpondit? Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc ſcilicet vox juſtitiæ eſt: Puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus. Audiuimus vocem juſtitiæ, audiamus & manſuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid eſt, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod ſequitur: Vade, & ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, ſed peccata, non hominem.* Sic veritas, ſic ſapientia, ſic ipſa, cui calumnia perabatur, juſtitia, & adulteram pariter, & adulteræ accuſatores emendauit. Illa bonitate correcta eſt; iſtis ad propriam conſcientiam remiſſis, vel apertè in terræ pu…

S. Auguſtin. tract. 33.

Matth. 7. 3.

vel tacitè in pecto…

quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit. Sap.7.2

§. VI.

Christus Magdalenæ, contra Pharisæum patronus; & cur vni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplũ offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori quem suscipien[illegible] Christus fidem & dilectionem mulie[illegible] [illegible]sæus [illegible] [illegible]is delicta intuetur. [illegible] [illegible]le [illegible] [illegible]arisæus [illegible]emerè [illegible] [illegible] [illegible]itat, ig[illegible]are [illegible] [illegible], cum ille Luc.7.3 S. Au[g] 50 ho[m] 23.

non

serm. 47. de verb. Dom. & mansuetudinem. Quare si, lapidandam dixisset, clamassent, eum tam misericordem, clementémq; non esse, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, vt S. Augustin. tract. 33. qui legem Moysis violaret. *Sed Dominus in respondendo, & justitiam seruaturus est*, inquit S. Augustinus, *& à mansuetudine non recessurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc scilicet vox justitiæ est: Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus. Audiuimus vocem justitiæ, audiamus & mansuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid est, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod sequitur: Vade, & ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccata, non hominem.* Sic veritas, sic sapientia, sic ipsa, cui calumnia perabatur, justitia, & adulteram pariter, & adulteræ accusatores emendauit. Illa bonitate correcta est; istis ad propriam conscientiam remissis, vel apertè in terræ puluere scriptum

Matth. 7. 3. vel tacitè in pectore dictum est: F...

quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit. Sap. 7. 26.

§. VI.

Christus Magdalenæ, contra Pharisæum patronus; & cur vni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplũ offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieri[illegible]æus peccatricis delicta intuetur. [illegible]ementer, Pharisæus temerè & [illegible] putat, ignare C[illegible]r, cum ille Luc. 7. 38. S. Aug. l. 50 homil. 23.

non

serm. 47. de verb. Dom.

& mansuetudinem. Quare si, lapidandam dixisset, clamassent, eum tam misericordem, clementémq; non esse, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, vt qui legem Moysis violaret. *Sed Dominus in respondendo, & justitiam seruaturus est,* inquit S. Augustinus, *& à mansuetudine non recessurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc scilicet vox justitiæ est: Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus. Audiuimus vocem justitiæ, audiamus & mansuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid est, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod sequitur: Vade, & ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccata, non hominem.* Sic veritas, sic sapientia, sic ipsa, cui calumnia perabatur, justitia, & adulteram pariter, & adulteræ accusatores emendauit. Illa bonitate correcta est; istis ad propriam conscientiam remissis, vel apertè in terræ puluere scriptum, vel tacitè in pectore dictum est: *Festucam,*

S. Augustin. tract. 33.

quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit. Sap.7.26.

§. VI.

Christus Magdalenæ, contra Pharisæum patronus; & cur vni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplũ offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieris; Pharisæus peccatricis delicta intuetur. Christus clementer, Pharisæus temerè & impiè iudicat; nempe putat, ignorare Christum, qualis sit mulier, cum ille non Luc.7.38. S. Aug. l. 50. homil. 23.

habentium diabolorum. Secunda caussa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens*: vel, vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cætera bona, vt amari possint, quasi colorans, & hoc ipso amabilia reddens*. Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia caussa est, vt homo, se, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia, confert, cum omnis boni caussa sit*. Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos sese copiosiùs effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Vbi D. Gregorius ait: *Tantò ergo ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Nam vtique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit dignio-

In Pimādro c. 4. Plotin. Ennead. 6. l. 7. c. 22.

Luc. 7. 47.

digniorem, capaciórque ſit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum ſtetit, cum vas non ſupereſſet; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri ſuæ oleum infundenti vaſa offerre potuerunt. 4. Reg. 4. 5.

§. IV.

Clementia Dei docet nos etiam in ingratos eſſe beneficos.

Quarta cauſſa eſt, ne nos à benefaciendo excuſemus, dicentes, littus fruſtra arari, & nequicquam in ſaxis ſeminari: eſſe enim homines quoſdam, ſicut ficum aridam, ſicut terram ſterilem, inutiles, ingratos, immò qui tanquam militares illi Leopardi, beneficijs peiores fiant. Quis actum libenter agit? quis AEthiopem lauare, aut laterem conatur? Hæc omnia refutat diuina bonitas, quæ quos redemiſſet, niſi etiam pro inimicis ſuis voluiſſet Dei Filium, in cruce, immolari? Philo, qui Hebræorum Plato dictus eſt, in hunc modum diſſerit: *Benignus cum ſit Deus, largitur bona omnibus etiam imperfectis, inuitans eos, vt æmulatores virtutis, atq; participes fiant, oſtentanſq; immenſas ſuas diuitias, quòd ſufficiant etiam ijs, qui non magnam vtilitatem inde capiunt. Hoc autem alijs rebus declarat manifeſtiſſimè; quoties enim pluit in* Matth. 5. 45. Philo. l. 1. allegor.

mare, fontes producit in desertissimis locis, tenuem & asperam, sterilémque terram rigat inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quàm nimietatem diuitiarum benignitatisque suæ? Eadem est caussa, ob quam nullam animam sterilem boni creauit, quamuis sint quædam, quibus hoc est inutile. Vides pulcherrimum summi DEI exemplum, cuius imitationem ipse

Matth. 5. 44. vrgens ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Imitare, ô homo, tuum Conditorem, benefac etiam beneficia contemnenti. Si malus est ille, tanto tu melior esto. Fac tu, quod boni solent, si vis esse bonus; si ille respuit tuum munus, non tu idcirco desinis esse bonus; sed ille se malum esse demonstrat, Imitetur ille diabolum, tu imitare Deum, qui ad pœnitentiam prouocat amando, nec rarò indulgendo corrigit. Quinta caussa est, vt nos manu ducat ad cultum, inuocationémque Sanctorum, per quos, etiam desperatissimis manum porrigit, vt resurgant.

Psl. 138. 17. Sic *nimis honorificati sunt amici tui Deus;* & præcipuè tua atq; *misericordiæ Mater* Maria, *Virgo*

Virgo clementissima, & refugium peccatorum, à te constituta, per quam non riuulos, sed fluuios immensæ bonitatis tuæ effudisti: quos huius voluminis angustijs includere, planè temerarius sit conatus. In confesso est, augustiùs illam, quàm per tam prodigiosam beneficentiam, inclarescere non potuisse. Nam sicut in Psal. 49. 15. Deus afflicto dicit: *Eruam te, & honorificabis me;* ita meritò etiam Mater Dei, ab ijs, quos eruit, in toto orbe terrarum honorificatur.

§. V.

Christus adulteræ clemens, Pharisæos in ruborem dat.

Eant nunc Aristarchi, murmurent Theones, & dentem exacuant; inde Deo gloria nascitur, vnde illi occasionem sumunt conuitiandi. Primum exemplum est, quia hac mente adduxerunt Christo *Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio,* fingentes scilicet, se Christi judicio stare velle; quamuis scrupulum subijciebant: *In lege Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare*, quid tu dicis, approbásne legem, an reprobas? *Hoc*, totum *dicebant tentātes eum, vt possent accusare eum.* Sciebant enim eum misericordiam profiteri Ioan. 8. 3. Ita S. Aug.

ſerm. 47. de verb. Dom.

& manſuetudinem. Quare ſi, lapidandam dixiſſet, clamaſſent, eum tam miſericordem, clementémq; non eſſe, quàm videri vellet, vt qui mulierem capitis damnaſſet; ſi non lapidandam, ipſum igitur lapidandum, vt qui legem Moyſis violaret. *Sed Dominus in reſpondendo, & juſtitiam ſeruaturus eſt,* inquit S. Auguſtinus, *& à manſuetudine non receſſurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Abſit autem, vt diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, ſed quærere, quod perierat. Quid ergo reſpondit? Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Hæc ſcilicet vox juſtitiæ eſt: Puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus. Audiuimus vocem juſtitiæ, audiamus & manſuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid eſt, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod ſequitur: Vade, & ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, ſed peccata, non hominem.* Sic veritas, ſic ſapientia, ſic ipſa, cui calumnia perabatur, juſtitia, & adulteram pariter, & adulteræ accuſatores emendauit. Illa bonitate correcta eſt; iſtis ad propriam conſcientiam remiſſis, vel apertè in terræ puluere ſcriptum, vel tacitè in pectore dictum eſt: *Feſtucam,*

S. Auguſtin. tract. 33.

Matth. 7. 3.

quæ

quæ in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? Hæc est *imago bonitatis illius*, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Pharisæorum malitiam; enimuerò, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit. Sap. 7. 26.

§. VI.

Christus Magdalenæ, contra Pharisæum patronus; & cur vni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplũ offensi bonitate Pharisæi Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat in ciuitate peccatrix*, quæ *stans retro secus pedes* Christi, *lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq;, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisæi? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieris; Pharisæus peccatricis delicta intuetur. Christus clementer, Pharisæus temerè & impiè iudicat; nempe putat, ignorare Christum, qualis sit mulier, cum ille non Luc. 7. 38. S. Aug. l. 50. homil. 23.

non ſolùm mulieris mores, ſed ipſius etiam Phariſæi cogitationes perſpectas haberet. Dio. l. 41. Caium Iul. Cæſarem laudant Scriptores, quòd, cum in ſcrinijs Pompeij ſecretæ litteræ repertæ eſſent, ex quibus, quo plerique animo, & erga Pompeium, & contra ſe fuiſſent, deprehendere potuiſſet, neque legerit eas, neque deſcripſerit, ſed extemplò cremârit, ne quid acerbius in quenquam ſtatuere cogeretur. Quantis laudibus dignus Ierem. 31. 34. eſt Deus, cuius illa vox eſt: *propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs?* Igitur Phariſæus peruersè Chriſtum, & non ex vero, ſed de ſuo ingenio iudicauit. Cum enim turgido inflatus Spiritu, ſanctum ſe eſſe profiteretur, quaſi prophe- Iſa. 52. 11. ticum illud dicens: *Diſcede à me, & noli me tangere, quia mundus ſum;* offendebatur, quòd ſe Chriſtus à muliere peccatrice contrectari pateretur: quemadmodum & Matth. 5. 30. illi alij, qui dicebant: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* At non tali ſpiritu erat humilis & humilitatis Magiſter; vt medicus ægrotos, oues vt Paſtor, peccatores recipiebat vt Saluator; & pro hac bonitate ſua, qua amari merebatur, hominum linguas paſſus eſt. Nempe vt, qui

oculis

oculis malè affecti ſunt, luce; ita peſſimi quique ipſa offenduntur bonitate. At ignoſcit vni, non ignoſcit alteri? *Quòd DEVS alijs gratuita vocatione conuerſis miſericordiam largitur indebitam, non ad diſpenſatoris iniuſtitiam, ſed ad donantis miſericordiſsimam liberalitatem, veritatis ratione referendum eſt. An audebit debitor creditorem iniquitatis arguere? ſi alteri donans ab eo, quod debitum exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præſumtionis locus eſt, vt à ſe dicat debitor iniuſtè exigi, quia ſcit alij debitori ab eodẽ, quod debebat, creditore donatum: quis in tantam inſaniam prophanæ vocis erumpat, vt iniuſtitiæ Deum arguat, ſi vni indebitam donauerit gratiam, & alteri debitam reddiderit pœnam?* Ita eſt, & tamen eſt, qui murmuret. S. Aug. l. de. Præ-deſt. & gratia. cap. 3.

§. VII.

Deus patri Filium prodigum recipienti ſimilis iniuſtos patitur murmuratores.

Sed non idcirco Deus deſinit eſſe bonus, qui eiuſcemodi murmuratori reſpondet: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* itémque: *Non licet mihi, quod volo, facere?* Quod eſt tertium exemplum, cui, vt quartum addam: Verum eſt, multos, cum filio illo adoleſcentiore, accepta ſubſtantia ſua, Matt. 20. 15. Luc. 15. 12.

peregrè,

peregrè, à Deo proficiſci, atque *in regionem longinquam, & ibi diſſipare ſubſtantiam ſuam* (omnes dotes ſpirituales, cum ipſa diuina gratia animáque ſua) *viuendo luxuriosè*: neque dignos eſſe, qui, fame coacti, domum reuertentes à Patre cęleſti recipiantur. Deus tamen ſua bonitate dignum iudicat, vt etiam tales recipiat. *Cum* igitur *adhuc longè* eſt talis, *videt illum pater ipſius, & miſericordia* mouetur: vnde vltro *accurrens* cadit *ſuper collum eius, & oſculatur eum.* Gaudet enim conuerſione hominis à peccato reſipiſcentis. Et tam promta eſt illius miſericordia, vt præſtò ſit ad ſe venire volentibus; illíſq; obuiam occurrat, qui conſilia, de vita mu-

Pſ. 10. 17. tanda moliri incipiunt. Nam, *deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, ait Dauid. Et

Pſal. 31. 5. iterum: *Dixi: confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem*

Iſa. 65. 24. *peccati mei. Et erit*, inquit Deus, *antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Qua de cauſſa dicebat Na-

Ioã. 1. 48. thanieli Seruator: *Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Certè ſit licet indignus peccator, quem reſpiciat ſuprema illa maieſtas, tamen tantò eſt miſeri-

or, &

or, & hinc miserabilior, quantò ipsa miseratione indignior. Vbi enim maior miseria, ibi maior est caussa miserendi. Et quem decet misericordiâ magis tangi, quàm Patrem? quem magis par est, miserrimis succurrere, quàm felicissimum? Si, apud Angelos, *maius est gaudium, super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia;* cur non idem gaudium sit, apud Dominum Angelorum? Qui tamen de hac ipsa bonitate sua necessarium ducit, se excusare, sicut pater ille, tum apud seruos, tum, apud maiorem natu filium, se se excusauit. Ne enim serui mirarentur, tam splendidum, propter vnum seminudum adolescentem, & degenerem gnatum, apparari conuiuium, dixit: *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Nimirum etsi veste scissili & lacera amictum, etsi vultu squallidum, & pallore extremam famem testante luridum; tamen filium suum agnoscit; & quem dudum perditum atque pro mortuo habuerat, non aliter censet accipiendum, ac si à mortuis extitisset. Quid ni serui mirati essent tantam bonitatem? cum *filius* ipse *eius senior in agro* æstum diei & laborem passus, re intellecta, *indignatus* sit, & no-

Luc. 15. 7.

Luc. 15. 25.

& noluerit *introire*, patríque ad eum egredienti, ac ad conuiuium roganti dixerit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum præteriui, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Ad hunc modum, multi, qui ſe putant ſemper vitã vixiſſe illibatam; tacita cogitatione, indignantur, quando vident grauiſſimos & publicos peccatores maximis donis diuinis ornari, & ſæpe beatiſſima morte; poſt exactos, in omni ſcelere, multos annos; decedere. Sed defendit ſe Deus, à miſericordia non niſi in miſeros exhibenda; & tranquillat animum vel in inuidias, vel in indignationes ebullientem. *Fili*, inquit, *tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic; mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus eſt.* Noli ergo indignari, tu Iudæe, ſi populi Gentilium maiore gratia diuini luminis ac fidei illuſtrantur. Noli tu, qui tibi iuſtus videris, putare, Deum iniuſtum eſſe, ſi peccatores recipit ad ſe reuertentes. *Tolle, quod tuum eſt*, tuáque gratia contentus eſto; Deum non vis eſſe Deum, ſi

non

non vis esse misericordem. *Dominus patiens est multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera*, inquit Moyses. Quid quòd neq; se iustum esse ostendit, qui iustum Deum accusat; qui peccatoribus inuidet; qui deniq; se iustum existimat; & tanquam iustum iactans ait: *Nunquam mandatum tuum præterini.* *Nihil mihi conscius sum*; ait Apostolus, *sed non in hoc iustificatus sum.* Quid ergo alijs vult misericordiam inuidere, qui ea ipse indiget? *Dicendum est*, ait S. Chrysostomus; *quòd nullus sanctorum dolet in talibus, immo bona aliorum sua existimat.* Num. 14. 18. Luc. 15. 29. 1. Cor. 4. 4.

§. VIII.

Misericordia Christi erga latronem in cruce.

Nostra igitur existimemus omnia eiusmodi bona, quæ, dum alijs à bono Deo exhibentur, nostra fiunt charitate, nostra imitatione; vt discamus, non desperare, etiamsi in peccatis consenuerimus. Hinc in quintum exemplum, Latro ille manifestarius iam iam acturus erat, in patibulo, animam, & vix agere cæperat pœnitentiam, paucula illa pronuncians: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, cum statim à mitissimo IESV audiuit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Petiuerat il- Luc. 23. 42.

le, non vt statim, sed vt, cum in suum regnum veniret, recordaretur sui, respondit, Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso*: adeò pronus est ad dandum, vt citiùs det, quàm petatur. Et vide cui det? homicidæ, latroni, illi ipsi, qui paulo priùs Christo in cruce pendenti, ipse etiam pendens ac desperatè propemodũ petulans conuitiatus erat. Ita enim loquitur S. Ambrosius: *Matthæus & Marcus duos conuitiantes inducunt latrones*, Lucas *vnum conuitiantem, & vnum reprehendentem. Fortasse & iste priùs conuitiatus est, sed repentè conuersus. Pulcherrimum autem datur affectandæ conuersionis exemplũ.* O Devs, quàm promtus es ad ignoscendũ! quàm tardi nos ad veniam à te flagitandam! & tamen ignoscis illi linguæ veniam petenti, quæ, eodem penè momento, te sacrilegè lacerauit? Quis hanc bonitatem tantam potest comprehendere, nisi qui te credit infinitè bonum? Credens autem, *quis desperet, si in cruce latro saluatus est: antè paululum homicida, post paululum accusatus, conuictus, damnatus, suspensus & liberatus. Noli mirari, vbi damnatus, sed vbi liberatus, vbi mutatus*. Hæc pius Afer.

S. Ambros. in c. 23. Luc.

S. Augustin. serm. 37. in Ioan.

§. IX.

§. IX.

Alterius latronis conuersio.

Eadem bonitas, in ſexto exemplo atque alio quodam latrone, ad accendendam, in maximis etiam peccatoribus, ſpem eluxit. *Moſes Æthiops, conditione ſeruus, propter naturæ ſuæ improbitatem, ex heri ſui domo profugit: atq; vbi prædari didiciſſet, paulo poſt prædonum cohortis Præfectus fuit. Et cum nefaria multa ſcelera peregiſſet, & ad cædes patrandas audax factus eſſet, ex præfracta quadam temeritate monaſticam ingreſſus eſt vitam, philoſophariq; prorſus incæpit, ſtrenuè admodum ad virtutem graſſans. Quòd autem priore vitæ inſtituto, & corporis valida conſtitutione, rurſum ad voluptatem per imaginationes incitatus alliceretur, varijs exercitijs carnem domare ſummoperè contendit. Et quandoq; quidem ſolo pane, abſq; obſonio vſus, quandoq; autem, plurimo opere perfecto, ad quinquaginta, die quolibet, precationes fecit. Et ſex continuis annis, noctes totas, peruigilio exegit, ſtans atq; orans; ita vt neq; genua inclinaret, neq; prorſus oculis ad ſomnum propendens conniueret. Porrò noctu Monachorum domicilia circumiens, clam vniuſcuiuſq; hydriam auferebat, eamq; aqua repletam in locum ſuum reponebat. Idq; ingen-* Nicephor. hiſt. l. 11. hiſt Ecclеſ. c. 36.

tis laboris fuit, propterea quòd inde locus, vbi aqua fluebat, alijs quidem decem, nonnullis autem viginti, quibusdam etiam triginta stadijs abesset. Perlongo verò tempore pristinum suum retinuit robur; quamuis multum studij in hoc collocaret, vt id debilitaret, & carnem diuturna ærumna extenuaret. Dicunt autẽ aliquando prædones eum quatuor, qui officinam quietis suæ percurrebant, cepisse, vinxisse, atque in humeros, sublatos in Ecclesiam deportasse, & Patribus, quid de eis statuerent: permisisse: nefas esse dicentem, vt in posterum mali quidquam alicui ipse inferret. Neque vnquam quemquam fuisse ferunt, qui tantopere mutatus à vitijs ad virtutem summam quam pertigit, peruenerit. Incredibilis verò fuit dæmonibus terror. Et, quod supra opinionem omnium est, presbyter etiam in Sceti factus est; cum quidem quàm plurimos, eo tempore, quo latronum manũ duxerat, interemisset. Et quia talis erat; multos eósque optimos post se reliquit sectatores.

§. X.

Magnorum peccatorum conuersione perpensa, ingredi & alios in spem veniæ peccatores.

Hoc est, quod supra dicebam: nostra existimanda esse, omnia eiusmodi bona, quæ dum

dum alijs à bono Deo exhibentur, noſtra fiunt imitatione. Nam quantæ ſpei non eſt argumentum? quis non obſtupeſcat, ad tantam metamorphoſin? Latro tam immanis fit exemplum ſummæ charitatis? Qui antè, nocturnis in tenebris, aliorum bonis & vitæ inſidiabatur, nunc per totas noctes peruigilat, vt alijs poſſit aquam præſtare? Tot cædium reus, nunc ſe ſuumque corpus caſtigat? Is qui intemperantiſſimus vino ſe ingurgitabat, epulis lacertos ædificabat, nunc ſolo pane contentus eſt? æquè in virtutem fortis, ac in flagitia priùs fuerat audax. Herifuga famulus antè, nunc redit ad Dominum vniuerſi, & ei famulari incipit, quem in tot crudelitatibus, ſi quiuiſſet, ipſum occidiſſet? Sic AEthiops pellem mutat? ſic prædo fit præda? ſic homicidarum ductor, fit ductor Anachoretarum? & qui vias infeſtauit, nunc in ſeipſum graſſatur? ex face nebulonum, nunc lux Monachorum? Prope ipſe Abbas non credidit, ex tam infami prædone aliquid boni fieri potuiſſe. Timuit cum illo colloqui: trepidauit, illum ad fores, ne dum in interiora domus, admittere: nec ſupplici ac omnia promittenti credidiſſet. Reiecit, vt peſtem, horruit vt latro-

 nem,

nem, nec sibi persuadere potuit, illas manus ad cœlum sublatas, Numini gratas esse posse, quæ toties humano sanguine fuerunt cruentatæ. Itaque ille, quod precibus non potuit, minis impetrauit; non admittendus, nisi formidatus. Censuit nempe illud ad se pertinere: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud;* serius in peccando, seriam quoque pœnitantiam egit. Qua in re *multos eósque optimos, post se, reliquit sectatores;* qui quamuis grauibus cooperti flagitijs, quamuis fulmina meriti & Tartara, quamuis sexaginta, aut octoginta annis Deum ad iracundiam prouocauerunt, tamen cogitatione pia tacti, post calumnias, post adulteria, post cædes, post sacrilegia, repentè dixerunt: *Nunquid in æternũ proijciet Deus; aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit, in ira sua, misericordias suas? Et dixi, Nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ Excelsi;* quæ neminem respuit, sed latronem de nemore, latronem de cruce, plus quàm latronem ex ipsis quodammodo inferni faucibus recipit ad misericordiæ diuinæ fores pulsantem.

Matth. 11. 12.

Psal. 76. 8.

§. XI.

§. XI.

Quanta patientia Deus ad cordis nostri ostium pulset & expectet?

Immò tam excellens est diuinæ bonitatis magnitudo, vt ipsa pulset, & recipi flagitet. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, & pulso,* inquit, *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Abraham & Loth, ille *in ostio tabernaculi sui,* iste *in foribus ciuitatis sedit,* vt hospites Angelos introducerent; vterq; *cucurrit in occursum eorum:* vterque pronus in terram, summis precibus, rogauit, vt diuertere dignarētur. Nunc ipse sæpe Deus stat ad ostium, ipse pulsat, ipse hospitium rogat; & *sui eum non recipiunt, nec est locus in diuersorio.* Quid facere posset, quid deberet, si rem humano affectu vellet æstimare? Samaritani aliquando Christum in ciuitatem non receperunt. *Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Et cōuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Itaq; etiam repudiatus *stat ad ostium,* & pulsare perseuerat; idque non solùm ob suam immensam bonitatem,

Apoc. 3. 20.
Gen. 18. 1.
Gen. 19. 1.
Ioan. 1.
Luc. 2.
Luc. 9. 54.

ſed etiam ob preces & bonitatem ſuorum. Cum enim vel Sancti eò manſuetudinis perueniant, vt neq; de extremè deſperatis deſperent; quantò magis decet ipſum Magiſtrum Sanctorum (qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum*) eſſe in eoſdem benignum atque miſericordem? Matth.11. 29.

§. XII.

Magnorum eſt, vt ſint in aduerſarios benigni.

Suſpiciuntur homines, & laudibus in cælum tolluntur, qui ſe ipſos vincere, aduerſarios benignè habere, & facilè ignoſcere poſſunt ijs, à quibus violati fuerunt. Et, Poëta teſte, *Quò quiſq; eſt maior, magis eſt placabilis iræ.* Certè Eccleſia S. Stephani, pro lapidatoribus ſuis Deum precantis, exemplum intuita, ita nos docet orare: *Da nobis, quæſumus Domine, imitari, quod colimus, vt diſcamus, & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro perſecutoribus orare.* Si ergo pulchrum eſt hominibus, benefacere ijs, à quibus maleficio affecti ſunt; quantò id ad Numinis gloriam erit conuenientius? Neque enim poteſt, in vlla virtute, infinitis modis perfectus Deus, à mortalibus ſuperari. Nihil ergo mirum, ſi

ſumma

ſumma maieſtas illius læſa, non tantùm veniam petentes in gratiam recipit, ſed ſi etiam vltrò eos quærit, & ad oſtium cordis illorum ſtans pulſat, & rogat, vt aperire velint, gratiámque recipere, quàm à ſe, cum maxima iniuria, excluſerunt. Igitur vt ſeptimum exemplum addam.

§. XIII.

Luculentum diuinæ bonitatis, etiam in deſperatiſſimos, exemplum.

Luculenta eiuſcemodi res accidiſſe legitur, in B. Catharinæ Senenſis vita. Erat Senis, Anno Chriſti 1370. ciuis, cui nomen Andreas N[illegible]dini, opes copioſæ, ſi aurum ſpectes; nullæ, ſi conſideres virtutem. Nam plerumq; quibus aurum nimis charum eſt, non eſt nimis chara virtus. Itaq; hic homo cum alijs pleriſq; flagitijs coopertus, tum etiam præcipuè teſſerarum ludo ita erat mancipatus, vt ſi ludendo, perderet nummos, Diuos, Deúmque ipſum conuitijs proſcindere identidem, cælúmq; deteſtabili execratione implere non vereretur. Quadrageſimum iam ætatis ſuæ attigerat añum, cum eum diuina vindicta cenſuit, non diutiùs differendum. Graui igitur morbo affecit, quo crudeſcente, depoſitus iam videbatur.

Raymūd. è Capua apud Sur. 19. Apr.

Nec minùs anima, quàm corpus ægrotabat. De corpore Medici desperauerant, non item de anima Religiosi. Venerunt itaq; ad eum multi homines pij, inter quos etiam vtriusque sexus cænobitæ, atq; inprimis Parochus illius. Hi eum, vt fit, præsentis periculi, instantísq; mortis admonuêre; hortati sunt, vt peccata sua in memoriam, se in pœnitentiam reduceret, sacerdotíque confiteretur, quæ alioqui æternùm luenda essent. Surdo loquebantur. Ille enim, qui sacras ædes adire, aut sacris initiatos honorare nunquam consueuerat, pronum habuit etiam sacrorum sermones contemnere. Ita[illegible]e sana suadentes, quasi importuna loquentes, repulit, & à se exire jussit, nihil sibi cum Deo esse, dictitans, nihil Deo secum. Peruenit hæc desperationis fama ad aures F. Thomæ, qui S. Virgini Catharinæ Senensi à sacris confessionibus erat. Hic, insigni animæ huius pereuntis zelo, Catharinam adiuit, rogauítque, vt diuinam desperatissimo homini miserationem precibus quàm enixissimis impetraret. Paruit illa, neque precari cessauit antè, quàm Christus illi se sisteret, caussámq; redderet, ob quam meritò miser perire sineretur. An non pereat, inquiebat, cuius blasphe-

mum

mum os, si posset, me ipsum perditum iret, cuius flagitia mundum implent, & ad cælum vsque pertingunt? qui, vt alia sileantur, etiam tabulam, in qua mea, Matris meæ, aliorúmque Diuorum imagines impictæ erant, ausus est, sacrilega manu, in ignem jactare? nonne & ipse dignissimus est, vt æternis gehennæ flammis exuratur? Nonne par est, vt, quod mihi fecit, ipse quoq; patiatur? Hæc atque alia talia Virgini dicebat Christus, vt peccatoris ostenderet abominandam fœditatem. VerùmCatharina, & salutis animarum sitientissima, & gnarissima diuinæ misericordiæ esse inexhaustam immensitatem, cum precibus, etiam vberrimas lachrymas fudit, neq; desijt antè, quàm mitissimus Dominus huic tam impio peccatori decumbenti appareret, atque, in vicem Parochi, ad peccata confessione delenda hortaretur, veniam, si id faceret, liberalissimè pollicens. Quem non flecteret tanta bonitas? quis conditionem tam fauentem non acceptaret? Ergo ille paulo priùs saxo durior Andreas repentè mollescit, erumpit in vocem, clamat, se Christum videre, enimuerò etiam audire monentem, neConfessionem insuper habeat, sed viam sibi paret ad veniam tot

scele-

ſcelerum obtinendam. Itaque quantocyus Confeſſarium acciri poſtulat, quem modico priùs eliminârat. Curritur. adeſt ſacerdos. confitetur Andreas, ingenti animi dolore: condit teſtamentum ſanctiſſimè, malámq; vitam, optima morte, conſignat. Verè igitur ille dixit: *Non eſt deſperandum de malis, ſed pro ipſis, vt boni fiant, ſtudioſiùs ſupplicandum, quia numerus Sanctorum ſemper de numero auctus eſt impiorum.*

S. Auguſtin. lib. de vera innocent. cap. 184.

§. XIV.

Promtiorem eſſe Deum ad miſericordiam nobis exhibendam, quàm nos ad eam acceptandam.

Acta perſonis rebúſq; reſpondere neceſſe eſt, inquit S. Athanaſius, *vt quis author fuerit, ex opere ipſius conteſtatum reddatur, & ex authore viciſsim, quale ſit opus agnoſcatur.* Quod cum ita ſit, meritò, audita eiuſcemodi hiſtoria, exclamari poteſt: *Hæc mutatio dexteræ excelſi;* neque enim alia manus talia facere poteſt: itémque *Magna opera Domini* magnum teſtantur operatorem. Tantò enim maior eſt Deus, quantò miſericordiam oſtendit ampliorem. Vnde cantatur: *Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera: Et miſerationes eius,*

S. Athanaſ. orat. contra idola.

Pſal. 76.

Pſ. 110. 2.

Num. 14. 18.

Pſ. 144. 9.

eius, super omnia opera eius; dummodo nos iijs velimus vti, aut eas acceptare. Nam planè ita est, promtiùs dat Deus beneficia, quã homines illa acceptent. Eo fine Balthasar Aluarez vidit *Christum Dominum nostrum, præclaris donis valde onustum, & onere illo quodammodo afflictum, ac desiderantem exonerari, & propensum se ostendentem ad gratificandum exoneranti. Et quamuis magno desiderio id cuperet, non tamen onus deponebat; eò quòd vasa deessent, in quibus eius dona reponerentur.* Pronior ergo est Deus, ad offerenda beneficia, quàm nos ad ea auferenda. Vnde rectè Propheta: *Deus meus, misericordia mea. Peccamus grauiter, inhæremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato; post peccatum ambulamus. Extenso collo peccatum nostrum prædicamus, nec abscondimus, & tu placatus es?* ait ille. *Nos te prouocamus ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam: nos irritamus te ad furorem, tu autem differs vindictam. Iusto exterminio punire poteras peccantes, subuertere negligentes: sed patientia tua expectat, vt corrigamus pœnitentes. Deus ergo meus, misericordia mea! Nunquid non hæc est iniustitia? sed nunquid est iniustitia, apud Deum? Absit. Quod enim sustinet Deus, iudex iustus patienter,*

Ludouic. de Ponte in vita Aluarez. c. 7. §. 2.

Psal. 58. S. Augustin. in tract. de Visitatione infirmi. serm. 1.

ter,

ter, totum Deus est. Neq; enim aliter Deus esses, nisi flecteteris, nisi patereris, nisi misereveris. Quodcumq; igitur facis, tuum est: quod tuum est, bonum est Quod igitur facis, bonum est, Deus meus misericordia mea.

§. XV.

Admiranda Turcæ ad fidem nostram vocatio; & conuersio.

Sicut, octaui exempli loco, prorsus bonum & admirabile erat, quod Româ Dilingam perscriptum fuit; Neapoli An. 1640. (an. 1641?) accidisse. Ibi Turca mancipium, curiositate populi allectus, cum reliqua turba; domum quandam sacram, in qua, Natalibus Christi Domini festis, rarissimi artificij elegantiæq; Præsepe visebatur; ingressus oculos à longè stans, ignota pietate, impleuit. Nulli vnquam sua curiositas felicior fuit. Nam ecce procul consistentem Turcam, atque nihil minùs cogitantem fabrefactus è materia Christus infans, è præsepio respicere; tum etiam, protensa manu, & indice digito annuere, atq; ad se vocare cæpit: quin & vocem claram addidit, cunctis, qui aderant, in stuporem raptis. Neque verò annuere cessauit antè, quàm ille attonitus ac tremens accederet:

Scripsit hoc Antonius Ceschi, 18. Ianuar. An. 1643.

Vbi

Vbi acceſſit, egit Chriſtus ipſe Catechiſtam, hominem Turcam res fidei neceſſarias docuit, monuítque, vt Baptiſmo ſe quàm primùm tingi curaret; fore enim, vt, intra breue tempus, ſecum in cælo eſſet. Profecit inſigniter, ſub tali magiſtro, Turca; rem diſertè narrauit; baptiſmum petijt, obtinuit; & paucos poſt dies, grauiter ægrotans, iámque ipſi morti vicinus, palam profeſſus eſt, mori ſe non poſſe priùs, quàm Sacrum viaticum accepiſſet. Accepit, & ſpiritum cælo reddidit. Miraberis, Lector, hanc tantam Dei bonitatem. at ſcito, omnibus ad præſepe Chriſti confluentibus annuere miſericordem Dominum; omnibus documenta diuina tradere. Non vident, neque audiunt hoc omnes? in ipſis culpa eſt, quia ſponte cæci ſunt, & vitijs obturati non habent *aures audiendi*. At, qui *aures audiendi* habent, audiunt puerulum IESVM è præſepio non ſolùm vagientem, ſed etiam pannis paupertatem, frigoris tolerantiâ patientiam, lachrymis pœnitentiam, denique vultu, geſtu, totius corporis habitu, omnes virtutes docentem; incenſíque amore tam immenſo infantis, iam tum, pro Mundo, patientis, toti, ſe proijciunt in mare diuinæ

boni-

bonitatis. Philæni, aut, vt Athenæus eos appellat, Philotoconistæ, optauerant olim, vt in balænas conuerterentur, dummodo mare in pretiosissimum vinum mutaretur, in quo se se possent continuò volutare. O quantum est mare amor Dei; ô quàm dulcis Oceanus, immensitas diuinæ bonitatis? omnes prorsus in eum se conijcerent, omnes in eo, velut pisces, natare optarent, si eius agnoscerent suauitatem. Immo omnes in eo submergi, & animam, amore ebriam, ponere cuperent; quemadmodum Georgius Clarentiæ Comes, qui (ob suspicionem affectati regni, ab Eduardo IV. huius nominis rege Angliæ, fratre suo, iussus mori, & genus mortis, quod sibi magis placeret, eligere) voluit vino Cretico, seu, vt vulgò vocant, Maluatico, suffocari; coniectúsque in vas plenum huius vini, illud sensim sorbendo suauiter submersus est; ita, præ amoris dulcedine, toti in Deo mergerentur omnes, *si quàm suauis sit Dominus*, gustauissent; neq; etiam mille mortes sentirent charitate inebriati.

CAP.

CAPVT. XVII.

Quanta, ex conſideratione Dei ſummè boni, ſumméq; miſericordis, etiam alioqui deſperatis, ſpes veniæ & fiducia addatur?

§. I.

Ab alijs videri ab alijs non videri diuinam bonitatem.

AVdiui nonnullos, qui nauali prælio interfuerunt, quod Ioannes de Auſtria, contra Turcas, feliciſſimè geſſit, narrantes, cadauera in mari natantia internoſci potuiſſe. Siquidem corpora Turcarum prona, at Chriſtianorum ſupina, atque cœlum aſpicientia dicebant natitauiſſe. Eadem res quotidie accidit ijs, qui in diuinæ bonitatis mare incidunt; alij enim ibi eriguntur ad ſpem in Deo ponendam; alij ſuopte pondere euertuntur, & ita deprimuntur, vt, ad quam oculos habent, non videant bonitatis profunditatem.

§. II.

Diuinæ miſericordiæ, & humanæ malitiæ magnitudinem ſimul intuendam eſſe.

Hanc vtique non vidit Cain, qui dixit:

Gen. 3. 13. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* quasi aliquid maius esse possit magnitudine diuinæ bonitatis. Meritò quidem ante oculos versari debet peccatori scelerum enormitas, sed juxta etiam ponenda est misericordiæ Dei magnitudo. S. Augustin. l. 50. homil. hom. 21. *Si quis iam lapsus, & nimio sceleris pondere oppressus desperare iam cœpit,* ait Hipponensis Præsul; *attendat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem: peccatum enim cum desperatione, certa mors est. Nemo dicat, ego, si iam aliquid mali feci, iam damnatus sum; Deus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis, fruar seculo; in voluptate lasciua, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video; si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sic cautos fecit, quando ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.*

§. III.

Nolle Deum, vt quisquam spe veniæ deturbetur.

Quemadmodum neq; Iudam sic voluit esse desperatum: voluit tamen ipse desperare Iudas pœnitentiâ ductus, sine diuinæ misericordiæ recordatione. *Habebat lachrymas Petrus pio, quas fundebat, affectu:* ait D. Ambro-

Ambrosius, *non habebat proditor fletus, quibus sacrilegium fateretur: vt, dum suo reus iudicio damnatur, & spontaneo supplicio expiatur facinus: pietas Domini, qui se ipse nollet vlcisci, & diuinitas probaretur, qui conscientiam mentis inuisibili potestate interrogaret.* Vsque adeò magna est Domini pietas, vt vel, in ipso proditore suo, se se nollet vlcisci; vsq; adeò magna vis conscientiæ, vt, vbi carnifex deest, laqueo se ipsa plectat. Non vult tamen hoc Deus; qui ait: *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Itaque *de illis non est desperandum, qui adhuc mala sua non solùm corrigere nolunt, sed etiam defendere non erubescunt. Sic nec illa ciuitas desperata fuit, de qua dictum est: Adhuc triduũ, & Niniue subuertetur. In ipso tamen triduo idonea fuit conuerti, orare, plangere, & de pœna imminente misericordiam promereri.* Ita Augustinus, qui alio loco addit: *Nemo de peccati sui dimißione desperet, quando & veniam meruerunt, qui Christum occiderunt.* Item: *Quid autem conuerso non ignoscitur? Quis homicida desperet? si in spem redditus est, à quo etiam Christus occisus est?* At sunt quædam scelera, & quoddam genus sceleratorum, de quibus plerique desperant? cum & ipsi (scilicet

S. Ambros. l. 10. super Lucam. c. 13.

Ezech. 33. 11.

S. Augustin. l. 50. homil. hom. 2.

Tract. 3. in Io. & serm. 36.

auari, luxuriosi, venefici & magi) plerumque soleant desperare? Esse tales, non nego; desperandum tamen illis esse, pernego.

§. IV.

Quænam genera peccantium maximè de spe decidant?

Baronius 1017. Circa annum Christi 1017. in Aquitania, ante D. Io. Baptistæ festum, tribus diebus, è cælo, pluuia sanguinis cecidit; qui cum in lapidem aut carnem incidisset, non poterat elui; si verò supra lignum lapsus esset, lauabatur. De hac re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis, *per lapidem*, inquit, *impij, per carnem fornicarij significantur; per lignum medij, qui neq; molles, vt caro, neq; vt lapis duri.* Addit *impios, & fornicarios indelebili nota, in sanguine suo, morituros; medios, per mortis angustiam, saluandos.* Verè lapides sunt homines impij, & indurato corde; apud quos *sanguis sanguinem tetigit*, qui (Oseæ. 4. 2.) peccatum peccato addiderunt; postquam enim toti sunt scelere, velut impuro cruore, inquinati, addunt alium sanguinem, qui priorem deleri non sinit, desperationem. Quod etiam carni deditis accidit; qui adeò plerumque molles sunt, vt existiment, se voluptates corporis non posse abdicare, atque

que idcirco, *in sanguine suo moriantur.* Impij illi adamante sunt duriores: adamas hirci sanguine dicitur liquescere; illi autem neq; Christi quidem sanguine molliuntur. Homines autem carnales Adonidis sanguinem sanguini Christi anteponunt. Hinc ineluibili desperationis nota maculantur; quæ est totius malitiæ complementum. Nam vt D. Chrysostomus ait, *Peccantes non dolere magis Deum exacerbat, quàm peccare. Hominem quidem exacerbans, & amicos, & vicinos rogas: & siue semel, siue ampliùs te repulerit iratus, non recedis, sed auges supplicationem; Deo verò tuo exacerbato, oscitas, & recedis, & delicijs vacas: quomodo non ex hoc ipso magis irritabis eum? Quapropter dignus es terram subire, nec hunc solem intueri, neq; penitus spirare; quòd tam facilem habens Dominum, & eum exasperas, & exasperans pœnitentiam non agis.* **S. Chrysost. hom. 46. ad populum.**

§. V.

Sanguis Christi optimum antidotum contra desperationem.

Quid ergo tanta Dei facilitas? quid patientia? quid clementia exigit? vt ne impij quidem, & toti carnei desperent. Ad hoc Deus homo factus est, ad hoc sanguinem fudit, vt impijs iratum judicem placaret, vt

hominem animalem ſpiritualem faceret: vt nemo, quantumuis flagitioſus, damnaretur. Qui igitur deſperant, deſperant tantùm quia volunt, non quia debent. Immò non poteſt deſperare, quiſquis vult miſericordias Domini ante oculos ponere, atque id expendere, quòd peccatoribus grauiſſimis tam benignus pater exhibuit. Si enim eos ex cœno extraxit, qui toti in eo erant ſepulti; an non poterunt extrahi, qui pedibus duntaxat luto immerguntur? In altera vita juſtitiam ſuam magis, in hac magis miſericordiam ſuam vult oſtendere: quam vt maximè manifeſtet, manifeſtat erga maximos peccatores. Pertinaciſſima ſunt quædam ſcelera, fateor; ſed longè potentius eſt antidotum ſanguis Chriſti ad ſanguinem peccati abluendum. Quid ſanguis Chriſti nō poſſet, ſi ſanguis martyrum tam efficax eſt, à Chriſti ſanguine vim trahens? Nam vel iſtum legimus, duros tales, ſaxeóſq; emollijſſe, atque molles ſolidaſſe in virtutem; vt, infinita Numinis bonitate cognita, omnem mollitiem voluptatémque improbam, in fortitudinem, patientiámq; commutarent; martyrum Deum, vſq; ad tormenta exquiſitiſſima, mortem amantium, exemplo.

§. VI.

§. VI.

Sanguis Martyrum quantæ sit potentiæ ad homines à peccatis abducendos, admirando exemplo ostenditur.

Aglais Romana, mulier claritate nataliũ, formæ elegantiâ, fortunæ beneuolentiâ, copiâ diuitiarum insignis; ex genere nimirum patricio, & eorum, qui proconsularem honorem erant consecuti; eam à prima ætate vultus gratiam acceperat, quæ insidias facere & pati posset. Ac, ne malorum vel irritamenta, vel fomenta deessent, tantæ suppetebant opes, vt ad omnem luxum sufficerent. Accedebat, super omnia, periculosissimum juuentuti venenum, libera viuendi potestas. Absque parentum oculis, absque mariti custodiâ degebat. Vno verbo, sine vllo metu, domina erat; & quidquid libebat, faciebat; ipsa domi pariter, & pater, & mater familias. Rarò fortuna, quos nimis amat, seriò amat: nam fauor illius, hamus est vitiorum. Cœpit itaque Aglais pecuniâ vti ad voluptatem; cui cum cupediæ non satis facerent, etiam illecebræ turpes quærebantur. Quid expectatis? in tali domo non habitant simul honestas & potestas. Quid autem non faceret præmortui pudo-

Surius ex Metaphraste 5. Iunij.

ris muliercula? quid non efficeret excetra, quæ delinimentis permulcebat omnes? præcipuè eos, quibus poterat imperare: inter quos illa nec coniux, nec vidua, nec virgo fuit.

Dipſas ſerpens eſt, ad inferendam perniciem ſummè velox: nam quos momordit, ſiti inardeſcunt adeò vehementer, vt paulò poſt moriantur. Talis erat ſerpens Aglais, immò longè pernicioſior; neque enim illi morſu opus erat, ſed ex oculis incendia jaculabatur, &, tanquam Meduſa, aſpiciendo necabat. Habuit hæc, in familia ſua, aliquem bonorum ſuorum procuratorem Bonifacium nomine, qui ingenij ſolertiam, inſigni in eam fidelitate ac beneuolentiâ, reddiderat amabiliorem. Inuictus in eo animus, à ſolo amore & vino vincebatur: cui & forma promotionem dedit, vt ambiretur; & vinum ſtimulos, ne fruſtra ambiretur. Siquidem, vbi ebrietas, ibi rarò diu venuſtas & caſtitas ſociantur. Accedebat occaſio dominæ ad vitium, cum authoritate, allicientis. Itaque Bonifacius ceteris in rebus Ioſepho par, ſola conſtantia temperantiáque, toto cœlo, ab illo diſtabat. Sinebat enim ſe, pro pallio, teneri. Cetera cur verbis expri-

Antipat.

mam,

mam, quæ ne cogitari à quoquam velim? Quod de aquila legimus in polypum ruente, quæ circumplicantibus & pertinaciter adhærescentibus cirris, vnà cum polypo in profundum maris tracta perijt; id de Aglaide, déque Bonifacio affirmare possemus, nisi hanc labem quantamcunque, sanguine elui posse, ille ostendisset, de quo meritò dicitur: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* Nam etsi rectè indelebiles cruentati imbris notas exposuerit Fulbertus de impijs, déque ijs, qui omne tempus Cereri & Libero deberi arbitrantur, quos difficile est corrigere; attamen tantùm, *apud homines, hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt;* cuius mirabiles sunt viæ, quibus hominem reducit.

Thes. epig. anth. lib. 1. tit. Piscis.

Ps. 106. 1.

Matt. 19. 26.

Vigebat, ea tempestate, persecutio Christianorum, & sacrilegus simulachrorũ cultus totum simul occupabat Orientem. Ibi erat tormentorum officina, dirum seculis spoliarium; theatrum crudelitatis; omnis immititatis sedes. ibi in corpora humana inagebantur feræ. ibi conspiciebantur derosa Martyrum corpora. ibi semiustulati iacebant, qui in tunica molesta coacti sunt

 ambu-

ambulare. Nec expleuit ſanguinarios editionis dies vnus, menſes, anni inſumebantur. Ipſæ etiam feminæ, ſexus rudis, inſciúsq; ferri, ferrum pati cogebantur. Denique minio arenæ, & nouo ſemper flore, Martyrum ſanguine, purpurabantur. Audijt totus orbis de hac Martyrum conſtantiâ, & tyrannorum laniena. Peruenit fama etiam ad Aglaidem: quæ, tametſi à Martyrũ virtute longè abeſſet, cæpit tamen Martyrum cruciatus atq; pugnas admirari, victorias æſtimare, reliquias deſiderare; vt ſaltem venerari poſſet, quos voluntas non erat imitari. Iam enim, vel per nuncios, intellecto Martyrũ ſanguine, caleſcebat. Quidquid feminæ deſiderant, vehementer deſiderant. Quare etiam Aglais omnino ſtatuit, nulli labori, vel ſumptui parcere, vt eiuſcemodi martyris corpus poſſet adipiſci. Nullus ad id negotium Bonifacio vel fidelior, vel aptior videbatur. Quapropter, ſicut ei impuros amores, ita etiam hunc ſanctum amorem concredidit; ita igitur, remotis arbitris, eum eſt allocuta. *Scis, frater, qualibus ſimus coinquinati peccatis, nec nobis curæ eſſe aliquid, quod expectamus futurum, vt ſiſtamur ante Deum, & pro his grauia ſubeamus*

ſuppli-

supplicia. Ceterùm audiui à quodam viro pio, quòd si quis eos, qui propter Christũ passi & affecti sunt martyrio, in honore habuerit, & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eâdem, quâ illi fruetur beatitudine. Multi autem nunc quoque, vt aiunt, pro Christo, pulchra adeunt certamina. Tu verò (etenim iam venit tempus, vt meus ostendat Bonifacius, qua sit in nos affectione) ad hæc mihi inserui, & omni studio eò vadens, propera ad me afferre aliquid è sacris his reliquijs: vt cum eas honorificè deposuerimus, & sacras ædes eis ædificauerimus, eos semper habeamus custodes & seruatores. Hæc illa.

Nihil Bonifacius consueuerat Aglaidi negare. Annuenti igitur & hîc, aurum, vnguenta & sindonas, ac duodecim equos tradit. Etenim magnus Christianorum amor in reliquias Diuorum, occasionem præbuerat lucri impijs, qui nulli eas, nisi magno precio emtas, dabant. In digressu, dum Bonifacius Aglaidi suæ vltimum vale dicit, per iocum, an vaticinium? addidit: Quid si, ô domina, hoc cœpto frustrareris; *secunda verò, vt aiunt, nauigatio, meum ad te corpus afferret: fuerítne hoc tibi mediocre tui instituti ac scopi solatium, & apud te habendum in honore?*

Non

Non res iſta ſibi ludos nunc poſcit, reſpondit Aglais: *Deus qui ſerui formam, propter nos, accepit, & ſuum effudit ſanguinem, ipſe ad mea non aſpiciat delicta, & mittat Angelum ſuum ante te, & dirigat greſſus tuos.* Dum proficiſcitur Bonifacius, ſentit & ipſe vim ſanguinis per Martyres effuſi. Subibat enim eius mentem cogitatio eiuſmodi: *Qualia ſunt, quæ feci? & qualia ſum impuris manibus portaturus?* Hac reuerentiâ tactus ſenſim cæpit nimiam corporis ſui curam deponere; enimuerò eidem pabulum ſubducturus, carnibus ac vino abſtinuit, totâ via; non infrequenter etiam omni cibo. Quod ieiunium, oratione aſſiduâ ad Deum, decorabat.

In Aſiam, & adeò Tharſum vbi venit, tot martyrum fertilem ciuitatem, ſocijs & equis in hoſpitio relictis, ipſe illico, ne abſterſo quidem itineris puluere, in eum ſe locum contulit, in quo martyres decertabant. In ſtadiũ ingreſſus conſpexit magnam hinc populi multitudinem; inde ſanctos varijs quidem tormentis diſcruciatos, vnum tamen omnibus crimen obijci, *pietatem verámq; religionem.* Tanta erat ſuppliciorum varietas, vt nemo ferè eoſdem, cum altero, ſubiret cruciatus. Vna interea omnium erat

vox-

vox, Chriſtum Deum eſſe, profitentium. Itaque vnus pendebat capite in terram verſo, igne ſubtus accenſo. Alius quatuor lignis extenſus cælum ſublimis amplectebatur. Erat, quem ductilis ſerra medium ſecabat. Quibuſdam manus, quibuſdam pedes amputabantur. Nonnullis oculi eradicati diem negabant. Huic palus per collum tranſactus, pro clauo, erat: illi brachia in diuerſum circumacta & crura in dorſum retorta formam monſtri inducebant. Fuerunt, quibus oſſa omnia plumbeis cæſtibus minutatim conterebantur. Quorundam corpora ita erant mutilata, vt, per terram, ritu globi, deuoluerentur. Hæc atq; alia talia generoſi athletæ patiebantur, ſine gemitu & clamore; immo quaſi eorũ corpora fierent, inter cruciatus, vegetiora, ita læti ipſi hilarésque, diuinâ virtute eos roborante, hymnos, laudésque Deo concinebant.

Quod tam mirabile, atque humanæ naturæ vires longè excedens ſpectaculũ poſtquam attentiſſimè conſiderauit Bonifacius, perſpicuè profectò oſtendit, etiam molles olim, & carni totos immerſos, poſſe ad frugem redire, neq; iam pœnitentiæ tantùm, ſed etiam martyrij capaces eſſe, diuinâ gra-

tiâ aſpirante. Itaque primùm ad tantam Martyrum conſtantiam obſtupuit; deinde diuinæ opis vim agnouit; poſtea totus Deo afflatus, ad pares pugnas ineundas, ſimiléſq; coronas conſequendas, exarſit. Non diù deliberant inflammata deſideria: & ignes magni citò erumpunt in propatulum. Itaq; & Bonifacius, extemplo in arenam deſcendit; *& cum ſe feciſſet manifeſtũ omnibus, Martyres, qui erant omnes viginti, ſingulatim amplectitur. Deinde etiam, omnibus audientibus, magna voce, Magnus eſt, inquit, Deus Chriſtianorum: Magnus eſt, qui athletas, ſua ope, adiuuit. Hæc cum dixiſſet, rurſus lætus adhærebat Martyribus, cùm magno deſiderio prenſabat, & amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas, quæ reſtabant, partes corporis;* rogitans, vt eorum ſocius eſſe, in ſupplicijs coroníſque poſſet. Citatus extemplo, ad iratum Præſidem, denuò ſe Chriſtianum profitebatur; dijs thura ſe daturum negat; promiſſa, minas, carnifices, cruciatus ridet, ſpernit. Suſpenditur ergo pedibus, cæditur fuſtibus, virgis, flagris, adeò diriter, vt detecta carnibus oſſa conſpicua eſſent, oculíſque omnium inteſtina paterent. Marmor cædi putauiſſes. nam, velut

rupes, immotus nihil se sentire ostendit; illud solùm dolens, se à reliquis Martyribus loco seiunctum esse, quos velut pulchrum fortitudinis exemplar, fixissimè intuebatur. Cum nihil videt ictibus effici iudex, iubet vincula relaxari, darique illi tempus respirandi; ac denuò, num vel iam sacrificare dijs velit, interrogat? Sed iterum dentem solido illidit. Respondet enim Athleta: *Ego ad Deos accedam, cum vel sola eorum appellatio sit auribus intolerabilis?* Accensior rursus Præses acutissimas arundines mandat ei, intra vngues, infigi, quod est tormentũ longè grauissimum. At Martyr cælo oculos animúmque affigens faciliùs cruciatum tolerauit, quàm Præses imperium, quod exercuit. Ipsâ ergo Bonifacij patientiâ impatientior factus, liquidum in os eius plumbum infundi imperat. Quo tam immani decreto excitatus heros iterum manus in sublime, cum oculis, extulit, atque ita orauit: Domine mi IESV Christe, qui me præcedentibus tormentis reddidisti fortiorem; nunc quoque ades, & palam ostende, te mihi opem ferre aduersus sathanam & Præsidem sathanæ ministrum. Vos quoque, ô fortes Christi milites, qui me exemplo vestro, ad hunc

hunc agonem, inflammauistis, nunc & precibus adiuuate certantem. Acclamauerunt illi, & victoriam finémque martyrij precabantur. Clamorem hunc secuta est tota populi multitudo, quæ, omnibus iam, ad diritatem, paratis, cum & præsidis crudelitate, & Martyrum incredibili lætáque constantia commota esset, vna & mente, & voce, in hæc verba erupit: *Magnus est Deus Christianorum: Magnus es rex, Christe. omnes in te credimus.* Vix ita clamauerant, cum aram impiam euerterunt; & Præsidem durum lapidibus sunt persecuti; qui vitam suam in fuga positam videns, grandini tam periculosæ se subduxit, relictóque theatro; domi asylum quæsiuit.

Quis non putaret vel Busiridem, tantæ multitudinis consensione, placatum iri? Habent autem hoc tyranni, vt, ad Pharaonis ingenium, ipsis prodigijs indurentur; fiántque inde peiores, vnde alij emendantur. Interuenit nox; nec quies furorem sedauit; nec diurnæ seditionis recordatio; sed multò hæc magis animum exacerbans, ita irritauit, vt vix lucem expectaret. Cæpta die, iam armatior in theatrum prodit, aduocatóq; Bonifacio, multa contra Christum

stum effutit; plura tamen vicissim, contra inanes Deos, audit. Paratur feralis scena; lebes pice impletur, flamma subijcitur; Martyr inijcitur. Sed contra Deum nulla vis, nulla potestas vnquam præpotuit. Renouata sunt igitur & hîc trium puerorum in camino illæsorum miracula. Siquidem Angelus de cœlo lapsus, Bonifacium quidem incolumem, in bulliente pice, seruauit; flammam autem in astantes lictores carnificésque excutiens, eadem fecit, quæ olim in Babylone. Nimirum ignis meliùs sciuit tyranno, qui nocentes essent, vel innocentes. Nondum tamen judex etiam hoc miraculo didicit sapere, sed jussit tanta iam in reliquis mẽbris passo caput amputari. Qui, cùm duceretur, mora ad precandum impetrata, stans Orientem versus, alta voce dixit: *Domine mi, Domine Deus, citò me praeueniant miserationes tuæ; & nunc adsis mihi adiutor, ne mihi malignus aliquid afferat impedimenti, propter ea, quæ in insipientia mihi præcesserunt peccata: sed suscipe animam meam in pace, & inter eos, qui pro te sanguinem effuderunt, & fidem vsque ad finem conseruarunt, me quoque annumera.* Dixit, ceruicem præbuit, è qua secta sanguis & lac fluxit, quo nouo prodi-

gio rurſum quingenti quinquaginta viri Chriſto nomen dederunt; immò à Chriſto nomen acceperunt. Talis támque glorioſus exitus fuit illius; qui paulò priùs vitam duxerat minimè glorioſam. Ita mortem, quam vel jocando, vel metuendo prædixerat; eſt conſecutus; ſanguine Martyrum; ſanguinem illius, ad martyrium, prouocante.

Abluit ergo hic ſanguineus imber, è carne, ſanguinis notas; & ablutum Deo charum eſſe miracula docuerunt: vt nemo de diuina miſeratione deſperet, quiſquis hanc tantam audit, vel legit diuinam bonitatem, & dexteram excelſi; cuius mutatio, è coruis columbas, ex immundis Angelos; è ſcortatoribus martyres facit, denique etiam ex Veneris mancipijs, ſanctos. Nam comites, qui cum Bonifacio miſſi fuerant, pridie in hoſpitio relicti, harum omnium rerum penitus ignari, per omnem eum ciuitatem, die poſtero, quæſiuerunt. Non reperientes autem illum, exiſtimauerunt, ambulare per popinas, &, vt ſolebat, bacchari in voluptate, donec in Commentarienſem inciderunt, cognouerúntque, martyrem eſſe, quem illi putauerant ſcortatorem. Immò cum ille, deſcripta eius forma habitúque, martyrem

factum

factum affirmasset, vix adduci potuerunt, vt ei fidem adhiberent: *Non nosti,* inquiunt, *Bonifacium, qualisnam sit ei vita, & quàm propensa ac procliuis ad voluptates, & quàm è diametro vitæ repugnet martyricæ.* Verùm cum postea ad locum ipsi adducti & corpus, & reuulsum inde caput agnouissent, insperata virtute obstupuerunt, ac metuere cœperunt. *Timebant enim, ne eis aliquid succenseret, quòd eius mentem accusassent, eum judicantes ex eo solo, quod præcesserat, & nescientes, quali vitæ principio, qualem & quam jucundum finem imposuisset. Sed mox metum ademit Martyr, se placidè & benignè in eos gerens. Nam postquam caput fuit coniunctum corpori (Tu es omnium Dominus, ô Christe rex, qui glorificas eos, qui te glorificant) sensim quidem* 1. Reg. 2. *aperit oculos: eos autem intuetur amicè & placidè loquentis speciem præ se ferens, & ostendens, se eis bene velle, & probrorum, quæ in eum ingesserant, minimè meminisse. Illi verò acerbè flentes, & calidas lachrymas effundentes: Ne memineris, dicebant, serue IESV, nostrarum iniquitatum, neque probrorum, quibus te diuinum & sacrosanctum caput stultè sumus insectati.*

Fuerunt igitur comites quoq; atq; socij

huius Bonifacij in ea opinione, non posse, ablui tantas impuritates: sed reipsa edocti, stultitiam suam defleuerunt; &, contrarium se expertos, professi sunt, docuerúntque, non solùm neminem debere desperare, sed etiam de nemine desperari à quoquam oportere; vt *confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.* Sunt enim misericordiæ eius infinitæ, & omnia mortalium scelera incomparabiliter excedunt. Quare, sicut nullum flumen tam est profundum, quod à mari non absorbeatur, ita nullum peccatum tam est enorme, quod diuinæ bonitatis abyssus non possit abolere. *Magna remedia pœnitentiæ*, fratres ait S. Chrysostomus, *igitur de se ipso desperet nemo. Nullum enim est animæ incurabile vulnus. In corpore quidem multa sunt talia; in anima verò nullum, & pro illis quidem laborare non desinimus; & pro his torpemus. Nonne vides latronem, quàm breui tempore curatus est? Non intueris martyres? Non meminit priorum peccatorum Deus; non est, sicut homo, Deus: neque enim exprobrat præterita: neque dicit reuertenti: Quare tantum temporis distulisti? sed cum accesserimus, diligit: & de his non tantùm in nouo, sed etiam in veteri testamento habemus exempla.*

Ps. 106. 8.

S. Chrysost. hom. 40. ad populum.

exempla. Quid enim Manasse deterius? Deum 2.Paral.
tamen propitium habuit. Quid Paulo miserius? 33.
sed factus est Euangelij præco. Quid Matthæo
deterius? at constitutus est Apostolus. Propterea Ierem. 8.
dico, neque scenicus desperet; ait enim Ie- Ephes. 5.
remias: *Nunquid qui cadet, non adijciet, vt resurgat? Et Paulus: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Licet igitur triginta & octo annos habeas in infirmitate tuorum peccatorum, si modò sanus fieri studueris, adest & nunc Christus, & dicit:* Tolle grabatum tuum: *tantùm velis exurgere, ne desperes. ait enim:* Vis sanus fieri? *Si non ergo habes hominem, habes tamen Deum. Nec poteris dicere: Dum ego vado, alius ante me in piscinam descendit. Nam si volueris in fontem pœnitentiæ descendere, nemo prohibet. Non absumitur, nec minuitur gratia. Est enim fons perenniter emanans, & ex illius abundantia omnes sanantur.*

Verè hæc Chrysostomus. Nam, ne Bonifacium duntaxat, è vitæ liberioris licentia, sanctum esse factum putemus; Aglais quoque, cum qua turpiter consueuerat, à vitio inolito destitit; & pœnitentiam illustrem egit. Siquidem illi, qui Bonifacium comitati erant, reliquias eius, corpus scilicet ac caput

quingẽtis aureis emptũ, atq; amomo, aliisq; odoriferis vnguentis conditum, lineisque inuolucris candidissimis circumdatum, ac capsæ impositum, Tharso Romam peruexerunt, nullas vllius alterius Martyris reliquias, præ his, eligendas arbitrati. Dum sunt in via, Angelus prænuncius è cœlo se stitit Aglaidi, eámque iussit suscipere venientem, dominum iam & fratrem Angelorum, quem famulum dimiserat; qui ab ea honoratus, illi esset futurus vitæ seruator, & animæ custos. Exterrita illa festinandum rata, cum clero, Martyri obuiam procedit, ædem materia insignem, structura elegantem erigit: in illa Bonifacius conditus mira multa patrauit. Sed maximè mirum erat, quòd non corpora tantùm, verùm animi etiam inibi sanarentur. Illud mirissimum extitit, quòd ipsa Aglais, eo loci, alia à se facta sit. Nam, distributis suis, in pauperes, opibus omnibus, de cetero honestè vixit, & ex virtute. Neque enim voluptates tantùm illicitas à se abdicauit; sed, per ipsos quindecim annos, ita etiam asperum vitæ genus amplexa est, delicijs cilicia; conuiuijs jeiunia; sermonibus lasciuis orationes opponens; vt & ipsa miraculis coruscaret. Quamuis

uis miraculum pulcherrimum vtilissimúmque fuit; è tali fœmina, quæ libidinis stabulum fuerat, exemplum pœnitentiæ virtutúmque factum esse; in quo diuinæ bonitatis profundissima consilia splenduerunt.

§. VII.

Nullum esse tantum peccatum, quod per pœnitentiam non possit deleri.

Quæ meritò vnumquemque animare possunt, ne, cum Cain aut Iuda, à diabolo se sinat adigi ad desperationem, quasi grauitas peccatorum maior sit, quàm Dei miserationes. Ades igitur, peccator, etiamsi, in peccatis ætatem omnem contriuisti; etiamsi cum adulterijs homicidia, & omnis generis crimina cumulauisti; habes misericordem Deum, qui jurans ait: *Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini à vijs pessimis vestris, & quare moriemini, domus Israël?* Nullum peccatum est tantùm, quod non remitti possit à tanto. *Quid maius est adulterio & homicidio? Audi igitur Dauidem de his pœnitentem: Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiā meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Propterea Christus peregrinatus in terra, maxima peccata remisit; latronem in*

Ezech. 33. 10.

S. Chrysost. hom. 6. de pœnit.

Paradiſum duxit; Publicanum fecit Euangeliſtam; Paulum blaſphemum Apoſtolum orbis: vt tu, peccator, minùs deſperes, ſed peccatum fatendo deleas, & ſalubrem ingrediaris viam. At magna eſt multitudo iniquitatis tuæ, & ſuper arenam maris? Maior eſt miſericordia Dei. Nam *Dei clementia pietáſque menſuram non ſuſcipit, neq; ipſius bonitas verbo interpretari poteſt. Tua quidem malitia menſuram habet* (cum & Arithmetici profiteantur, ſe numerum arenæ maris poſſe dicere) *Dei verò clementia & pietas incircumſcripta eſt; ipſa igitur tuam malitiam ſuperat. Cogita ſcintillam, ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare, & apparere? Quantum ſcintilla ad mare ſe habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam & pietatem: immò verò non tantùm, ſed & longè ſupra: nam & pelagus, tametſi magnum ſit, recipit menſuram, Dei verò clementia, & pietas menſuram non habet.* Hæc S. Chryſoſtomus. Ob hanc bonitatis ſuæ immenſitatem, Deus, apud Prophetam, poſtquam dixerat: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemarunt ſanctum Iſraël* &c. *ſubiecit: Lauamini, mundi eſtote &c. ſi fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabun-*

Idem S. Chryſoſt. hom. 3. de Pœnit.

Iſa. 1.

albabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Obseruat D. Basilius, colorem coccineum & rubrum, inter omnes colores, esse maximè tenaces, ac ferè indelebiles, immò velut in natiuum colorem conuerti. Quare & peccatum ita adhæret, præsertim impijs, & fornicarijs, quos Fulbertus, supra, dixit, *indelebili nota, in sanguine suo morituros*, ni diuina scilicet gratia vtantur; hac tamen pœnitentiáque qui vtuntur, lauari, mundariq; possunt, & quasi nix aut lana dealbari; etiamsi peccata illorum pondere grauia, enormitate cruenta, numero multa, consuetudine inolita, & velut in naturam conuersa videantur. Verè S. Cyprianus: *Quæcunq; necessitas cogat ad pœnitentiam; nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas, si pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia, sed in amplissimos sinus suos mater charitas reuertentes suscipit prodigos, &, velit nolit Nouatus hæreticus, semper verè pœnitentes suscipit Christus.*

S. Basil. homil. de pœnit.

Vide supra §. 4.

S. Cyprian. serm. de cœna Domini.

§. VIII.

Quanta sit, non solùm diuina, sed etiam humana misericordiæ vis?

Itaque quisquis vel de se, vel de vllo pec-

catore, rem desperatam esse putat, huc oculos reflectat, & respiret. Neque offendi debet quisquam, si videt multa ac grandia quædam peccata, à sic conuerso, ante fuisse perpetrata. Talis ardentiùs dicere potest:

Psal. 106. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* In magni peccatoris conuersione, magna misericordia ostenditur. Neq; quidquam magna Dei misericordia, magnæ eiusdem iustitiæ prærogat. Vtraque illius est, vtrauis potest vti, pro libertate. Neq; verò iustitia in talibus nulla ostenditur. Bonifacius magna contritione, magno amore Dei, magna potuit

Luc. 7. 47. peccata compensare, vt diceretur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Deniq; inter tot tormenta, facilè potuit luere tot delicta; & tanto sanguine tanta peccata lauare. Quòd si etiam considerare volumus, quid de congruo Aglaidi & Bonifacio fecerit Deus; duas in ijs caussas

Surius in eius vita 5. Iunij. reperiemus. Nam Bonifacius, etiam cum vino & Venere caleret, *pecuniæ erat contemptor magnificētissimus, & ad eas egentibus distribuendas longè liberalissimus, & hospitalitati deditus, si vllus alius. Si quando ergo vidisset aliquos ex viatoribus, aut æstu & siti eliquatos,*

aut

aut niue, & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat, vt à labore requiescerent: & , cum cessissent, in domum suam introductos hospitio benignè accipiebat, & verbis, & factis eorum omnem propulsabat molestiam. Quare *non sustinuit Dominus, despicere animam* hanc. neque animam Aglaïdis, quæ & ipsa in Bonifacij liberalitatem consensit, & multum auri tradidit, *vt etiam haberet, quod distribueret pauperibus.*

§. IX.

Si Deum erga se volunt misericordem peccatores, sint ipsi misericordes, erga pauperes.

Nimirum *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hæc sunt iudicia diuinæ bonitatis, vt si quis pauperi det obolum, emat cęlum; si panem porrigat, aut *aqua frigida haustum*, mercede sua non careat. Qua mercede? Nimirum huius & alterius vitæ. Hinc nihil speciatim dixit, quando dixit: *misericordiam consequentur*, vt vtrumque dixisse censeatur. Quando enim dixit: *Beati pauperes spiritu;* non addidit, *quoniam illorum est regnum mundi & cæli,* sed limitatè addidit: *Quoniam ipsorum est regnum*

Matt. 5. 7.

Matth. 9. 40.

cælo-

cælorum. At cum ad misericordiam venit, non ad regnum cælorum duntaxat misericordes remisit, sed misericordiam vicissim spopondit, quæ vtique sæpissime, etiam in hac vita, exhibetur. Vnde & illud habemus:
Ps. 40. 2. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperē; in die mala liberabit eum Dominus.* Dies mala, cum Cassiodoro, potest dies iræ, diésq; iudicij quidem intelligi; sed non tantùm illa dies mala est. Mala est omnis dies, in qua malum patimur; nec, quando in oratione dicimus: *Libera nos à malo,* à iudicio tantùm liberari petimus; sed multò maximè à pec-
1. Tim. 4. 8. cato, & peccati pœnis. Itaque, etiam Apostolo teste, *pietas ad omnia vtilis* est, *promißionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Qua de caussa Pater ille filio suo hoc do-
Tob. 4. 7. cumentum dedit: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur fa-*
Matt. 7. 2. *cies Domini.* Siquidem *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis,* ait Seruator.
Prou. 21. 13. Vnde etiam, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur;* sicut non exauditus est Epulo cla-
Luc. 16. 24. mans: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt re-*

frigeret

frigeret linguam meam; quia ipse priùs non exaudiuit Lazarum ante fores clamantem. Iustè negata est gutta, à quo negata fuit mica. At alijs, quibus frustra dictum non est: *Date, & dabitur*, quia dederunt pauperi, idcirco dat & Deus, siue cum esuriunt, siue cum sitiunt, siue cum ægrotant, siue cum calumniam patiuntur; siue cum periclitantur de æterna damnatione. A Bonifacio igitur, & Aglaide, ô mortales, discite esse misericordes: quia *eleemosyna est, quæ facit inuenire misericordiam. An ignoras,* inquit, os aureum, *qui iudicem mitigare volunt, non ipso examine caussæ, sed priusquam iudicij ingrediantur locum, beneuolum sibi facere, vel amico, vel mediatore, vel præsule, aut modo alio, sibi iudicem conciliare. Igitur & Deo, non sessionis tempore, suadendum. Ante iudicij tempus mitigabilis est, & ideò Dauid ait: Praoccupemus faciem eius. Illum magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur; dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum & implacabile iusti iudicium. Nunc verò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia; magis autem, (si verum dicere oportet) clemens & pius ipse pecunia suadetur, non ipse manu sua,* *sed*

Tob. 12. 9.

S. Chry-sost. hom. 5. de pœnit.

Psal. 94. 2.

ſed per inopes accipiens. Da pauperi pecuniam, & iudicem mitigaueris. Hoc & Aglais fecit; &, ſi facerent aliæ quoque, in malo Aglaidi pares feminæ, fortaſſe & ipſæ miſericordiam conſequerentur.

§. X.

Quàm vtilis etiam peccatoribus, ſit cultus reliquiarum?

Sed aliud quoque fecit Aglais, quo ſibi patrocinia conciliauit. *Subijt* enim *illam ſalutaris cogitatio ac vehemens quoddam & inuictum deſiderium reliquiarum Martyrũ.* Hinc Bonifacium ita eſt allocuta. *Scis, frater, qualibus ſimus coinquinati peccatis, nec nobis curæ eſſe aliquid, quod expectamus futurum, vt ſiſtamur ante Deum, & pro his grauia ſubeamus ſupplicia. Ceterùm audiui à quodam viro pio, quòd, ſi quis eos, qui propter Chriſtum paſſi ſunt martyrium, in honore habuerit & coluerit, magna quadam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio, & eâdem qua illi, fruetur beatitudine.* Hæc eſt altera cauſſa, ob quam Aglaidem à Deo non negligi congruum fuit; quia ſcilicet ipſa Sanctos Sanctorúmque reliquias non neglexit. Quod 1. fecit, exemplo Patriarcharũ. Nam Iacobus Edyſſenus Syrus memorat, Patri-

Apud Andream

archam

archam Noë, tempore diluuij, ossa primi parentis Adam, intra arcam reclusisse, finitóque diluuio, illa inter filios suos diuisisse, capútque, tanquam præcipuam partem, præcipuo ac primogenito filio donauisse. Cuius facti, sunt qui dicant, caussam fuisse, venerationem reliquiarum protoplasti. Procopius Gazæus referens diuitias, quas filij Israël ab AEgyptijs mutuò acceptas, in terram promissionis secum deduxerunt, ait: *Hebræi, quia carnalia sectabantur, jussi sunt mutuò accipere argentea, & aurea vasa: Moyses elegit viri justi Ioseph ossa, quæ prætulit immensis thesauris Ægyptiorum.* Habétq; hui⁹ rei aliquod, in diuinis litteris, fundamentum; dicitur enim: *Tulit quoq; Moyses ossa Ioseph secum.* Hos, alióſque Sanctos imitata est Aglais, in Diuorum reliquijs venerandis.

Masium super c. vltim. Iosuæ.

Procop. Gazæ. in Exod. 13.

Exod. 13. 19.

2. Has venerata est reliquias, quia, vt disertissimus Pater ait: *Deus, qua est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit; & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum; relictis scilicet interim, apud nos, Sanctorum reliquijs: Nam, post sermonis facultatem, ipsæ certè Sanctorum reliquiæ proximum locum obtinent, ad animas*

S. Chrysost. lib. contra Gentiles.

animas hominum, in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem, excitandas; ſepulchri enim ſancti aſpectus in animam noſtram inuadens percellit, & exſuſcitat, ac perinde afficit, ac ſi, qui ibi mortuus jacet, preces ſimul fundat, præſénſq; adeſſe cernatur. Deinde ſit, vt qui ſe ſic affectum cernit, mira alacritate geſtiens. & quaſi alius ex alio recedat. Hoc contigit Bonifacio, qui martyrum certamina ſpectans, martyr euaſit. Hoc euenit Aglaidi, quæ dum voluit martyres, in ſuis reliquijs, honorare, Martyrum preces meruit; inque oſſibus Bonifacij perpetuum habuit vitæ ſanctioris exhortatorem. Nam anima quidem illius, in cœlo, pro ea, Deum orauit; corpus autem, ex ipſo tumulo, ad quem illa quotidie ſuplex jacuit, eam exemplo, ad imitationem pœnitentiæ prouocauit. Sic correcta peccatricis incontinentia, *gloriam ex culpa inuênit.* Si autem hoc ſanguis Martyrum potuit; ſanguis Chriſti quid non valebit, qui ſanguini Martyrum vim omnem, virtutémque contulit? Seculi ſapientes aiunt: *Piaculum eſt; miſereri nos hominum rem malè gerentium*; & aliorum ſanguis ad cœlum clamat, vt vindictam impetret: ſanguis Chriſti, clamat ad cœlum, vt

Plaut. in Trucul.

veniam

veniam impetret; eſtque tam mitis, vt glorioſum ducat, *miſereri hominum*, etiam *rem malè gerentium.* Hanc indolem à Magiſtro ſuo Sancti trahunt, qui ſciunt, miſericordiæ eſſe officium, miſeris ſuccurrere.

CAPVT XVIII.

Deum, infinita ſua clementia, omnes ad pœnitentiam gratiarumq́ actionem inuitare.

§. I.

Animæ balneum, lachrymæ pœnitentis.

SAnguis Chriſti Seruatoris tantæ eſt efficacitatis, vt non ille ſolùm delere peccata mortalium poſſit; ſed etiam vim conferat ſanguini Martyrum peccata propria abluendi, & alienis veniam impetrandi. Neque ſanguini tantùm, ſed etiam aquis Baptiſmi, & lachrymarum hanc virtutem indit. Scribit Ariſtoteles, fontem eſſe in Sicilia, in quo ſi aues aliáq; animantia ſuffocata immergantur, reuiuiſcant. Et multos audiui oculatos teſtes, qui ſe vidiſſe affirmarunt, canes in antrum quoddam Italiæ inductos viuos, reductos peſtilenti aurâ velut mortuos; qui, ſi in proximum ſtagnũ inijciantur, ad ſe & vitam priſtinam redeãt.

Ariſtoteles in Admirandis cap. 28.

Quis hîc non agnoſcat magiſtram pœniten-
tiæ atque lachrymarum naturam? Defun-
Luc. 7. 38. ćta erat Deo Magdalena, *lachrymis cœpit ri-
gare pedes* Chriſti, & reuixit: audiuit enim:
*Remittuntur tibi peccata: Fides tua te ſaluam
fecit: Vade in pace.* Mortuus erat Deo Petrus,
Matt. 26. 75. quando *cœpit deteſtari & jurare, quia non no-
uiſſet* Chriſtum; ſed reuixit, vbi *egreſſus foras
fleuit amare.* Nimirum ſciuit benignus Pa-
ter, non omnes adeò fortes fore, vt per mar-
tyria, & ſanguinem fuſum, peccata ſua poſ-
ſint eluere; voluit ergo contentus eſſe, ſi
vel lachrymis ea abluerem⁹. Hoc ſignifi-
cauit fons ille, qui de latere Chriſti exiliens
nos miſeros mortales toties lethalibus pla-
gis affectos, toties exanimatos ad vitam re-
Io. 19. 34. uocauit. Nam quando *vnus militum lancea
latus eius aperuit, continuò exiuit ſanguis &
aqua.* Fons ſanguinis Martyrium, fons aquæ
Baptiſmum & Pœnitentiam expreſſit. Si-
S. Aug. lib. de Pœnit. quidem, vt D. Auguſtinus ait: *Pœnitentia
languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſci-
tat, ſanitatem auget, gratiam conſeruat, claudis
greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vi-
tia fugat, virtutes exornat, mentem vnit &
roborat.* Hoc conciliationis remedium Deus
inimicis ſuis largitus eſt. Pro ſanguine ſuo,
lachry-

lachrymas noſtras expoſcit, quæ & ipſæ *ſanguis* eſſe *cordis* perhibentur; & balneum ſunt; quo animæ vulnera perſanantur. Olim veteres, in amicitiæ ſignum, ſanguinem è venis extractum permiſcuerunt. Vult Deus etiam nobiſcum amicitiam inire, ſi cum precioſo illius ſanguine lachrymas noſtras cõiungamus: Hoc antidotum eſt totius noſtræ calamitatis.

§. II.

Num lachrymæ etiam viros deceant?

Ad acidulas & thermas, quàm cupidè homines proficiſcuntur, vt corporis impetrent ſanitatem? ad lachrymas cur ſunt tã ſegnes? quibus tanta vis ineſt, vt Gehennæ flammas poſſint extinguere? In Lycia quondam, teſte Seneca, nulli fas erat lachrymas fundere, niſi muliebrem veſtem induiſſet; quòd lachrymæ debilis & effeminati eſſent argumentum, & viros dedecerent. Nempe nulla res temporalis eſt tanti, vt fletum mereatur. At verò peccatum generans mortem æternam, vtique tanti eſt, vt debeat, à quocunq; etiam ſanguineis lachrymis defleri. Nemo aquæ parcit, cum domus ſuæ incendium eſt reſtinguendum: &, cum ignis inferni eſt opprimendus, lachrymis parcemus? Quis Da-

uide, vrſorum, leonum, Gigantis, Philiſthæorum victore fortior? & tamen cum de peccato ageretur, non erubuit ſcribere: *la-*
Pſal. 6. 7. *chrymis meis ſtratum meum rigabo;* noctu
Pſal. 118. 236. nempe, interdiu autem ait: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam:* ſic noctes, diéſque lachrymas fudit, & quidem tam copioſas, vt lecto lauando ſufficerent. Igitur etiam

Vtar ego lachrymis, ſed nō muliebriter vtar:
Eſt quoq; qui deceat maſcula corda dolor.

Nam etſi, ex communi Theologorum ſententia, exterior pœnitentia, ſeu confeſſio Sacerdoti facienda, & ſatisfactio pro peccatis, tantùm ad tempus, & ſecundùm peccati menſuram debeat neceſſariò durare; tamen pœnitentia interior, quâ quis de peccato commiſſo dolet, debet durare vſq; ad finem
S. Thom. 3. p. q. 8. a. 8. vitæ, vt S. Thomas docet. Semper enim debet nobis diſplicere, peccauiſſe. Hinc ait
Pſ. 41. 4. Dauid: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Adeò, ſicut corpus pane, ita anima lachrymis paſcitur amorem Dei deteſtationémq; peccati ſignificantibus, & minuentibus timorem diuini furoris. Sicut enim, cum cœlum nubibus obtenebratum

fulgura

fulgura oculis, auribus tonitrua ingerit, tam diu etiam fulmina metuuntur, donec, nube in imbres resolutâ, dies iterum clarescit, & sol cœlo reddit serenitatem: ita meritò peccator, qui in conscientiæ versatur tempestate & mentis caligine, diuini judicij fulgura, timores mortis, & inferni pericula formidat: at, cum compunctus in lachrymas prorumpit, spem habet diuinæ consolationis. Sinit enim se illicò molliri Deus, quando videt, mollitum esse cor peccatoris.

§. III.

Vis lachrymarum.

Quis tantæ clementiæ rex vnquam fuit, vt eodem ferè momento, flagrantissimè iratus, & rursum eidem summè placatus esset? At de Deo dicit: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam.* Quid ita? quia *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; tanquam rem tibi acceptabilem, & tuo conspectu dignam, tibique in primis charam. Siquidem, sicut ea, quæ in odio nobis sunt, auersamur; ita vicissim illis, quibus animus, ijsdem etiam oculus adhæret. AEgrotauerat Ezechias, & veniens ad eum Isaias iam dixerat: *Dispone*

Isa. 22. 1.

Psal. 55. 9.

Isa. 3. 8.

 domui

4. Reg. 20. *domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*: Ezechias autem conuertit faciem suam ad parietem, & cum lachrymis adorauit Dominum, & antequam exiret Isaias per mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eũ dicens: *Reuertere, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te*, &c. Alia lectio habet: *vidi lachrymam tuam*, quasi propter primam lachrymam statim conciliatus, & sanitatem, & quindecim annos, & liberationem ab Assyrijs donârit. Potéstne maior bonitas cogitari? Illata infinito Deo injuria, æterna damnatione, æterno supplicio digna, lachrymis, immò lachrymâ vnâ compensatur.

§. IV.

Etiam de malis benè sperandum.

Hæc cum ita sint, boni nunquam de salute sua desperant, sed oculos semper in cælũ erigunt, semper misericordem esse judicem credunt, atque ad pœnitentiæ remedia, ad lachrymas, ad tunsiones pectoris, ad confessionem recurrunt. Deniq; etiam *non est desperandum de malis*, ait S. Doctor, *sed pro ipsis, vt boni fiant, studiosiùs supplicandum: quia numerus Sanctorum, semper de numero auctus est impio-*

S. Augustin. lib. de vera innocent. c. 184.

impiorum. Hæc est ars omnipotentis, *è lapidibus filios Abrahæ suscitantis*; hic diuinæ misericordiæ fructus, *vocantis ea, quæ non sunt*; hæc *dextera Excelsi, de stercore pauperem* erigentis. Cuius, in luculenta historia, & exemplum accipe, peccator, & documentum. Matt. 3. 9.

§. V.

Sceleratissimæ filiæ, ex misericordia Dei breuis & efficax pœnitentia.

Dedit id, ante me, ex idoneo authore, Iulius Mazarinus, de quadam puella, quæ venustate vultus pariter, & juuenilibus adhuc annis florens, affinis earum rerum, quas fert adolescentia, malæ educationi, malam reposuit mercedem. Nam in delicijs, à matre, & vitæ licentia, enutrita, nimiam indulgentiam eximio dolore compensauit. Itaq; assueta facilè flecti, improbo parentis suasu, haud ægrè permota incæsto animam polluit flagitio. Nempe aptum matris supplicium erat filiæ peccatum. Quid ergo Agalma mater (nam hoc illi fuit nomen) nefandi coitus exploratè gnara fecit? Dolorem, quem non potuit premere, in verba effudit; quibus acerbissimis filiæ aures identidem flagellauit, nefarium ac inauditum crimen comperisse se clamitans: facinus vtique

Iul. Mazarin. in Psal. 50. p. 1. discurs. 10. ex Iac. Vitriac. Cardinal.

non castâ, sed Iocastâ dignum, & flammis expiandum ab eâ perpetratum esse: & quæ alia muliebris furor suggerebat. Filia crimen audaciùs facere, quàm patientiùs audire docta, scelúsq; suum propalatum acerbè ferens, tollere, cum matre, exprobrationem statuit. Aberat tunc pater. optima occasio vindicandi. Igitur, parricidali conatu, matri vitam lucísque vsum, virulento pharmaco, aufert. Vbi pater domum redijt, vacuámque matrefamiliàs inuênit, tam inexpectato casu perculsus, filiam vultu, voce, minis iracundissimè obiurgauit. Infelix puella vltro citróque malè se verbis acceptam, &, quæ metus augurabatur, non ferens, ad vltimam desperationē progressa patri quoque, à quo vitam acceperat, vitam adimere decreuit. Captatâ occasione, remotísque arbitris, ceruicem incæstam parentis sicâ abscindit. Facinore patrato, se se in fugam dat, asportatâ secum præcipuâ suppellectilis parte. In ignoto loco incognita, omni frontis honore valere jusso, voluptatibus extremè indulsit. Neque enim aliud supererat, quod sperare vellet. Ita diu vitam brutorum vixit, verè errans, sicut ouis, quæ perijt. Et perijsset, nisi eam summus pastor errantem

quæsijs-

quæsijsset. Vagabatur vbique misera, &, fallendi magis temporis, quàm Numinis placandi gratia, aliquando curiosè in templum intrabat, eo ipso tempore; quo diuini verbi præco, Dei misericordiam, vehementi oratione, exaggerauit, addidítque, neminem vllum esse, sub cœlo, ita profundè peccatorum cœno immersum, cui salutis spes sit intercisa. Affectâ concione, continuò illa, omnem moram exosa, ad concionatorem accessit, atque ex eo percontata est: *Num, quæ dixisset, omnia de Dei in peccatores benignitate, vera essent?* Verissima respondit ille, eáque, quæ publicè dixerat, pluribus insuper argumentis confirmauit. Tum illa, *Si,* inquit, *ita res est, vti confidenter asseris, te obnixè rogo, Pater, vt excipias confessionem meam, ac me à peccatis absoluas, vt pro me fias pius intercessor, apud tantam misericordiam.* Annuit ille: confitetur illa: quâ auditâ, substitit aliquanto temporis spacio Pater, & cogitare cœpit, qualisnam pœnitentia eiuscemodi peccatrici esset præscribenda? Suspectum fuit hoc silentium puellæ, quæ illico. *Quid hoc,* inquiebat, *Pater, iam misericordiam valde extollebas, & nunc videris de salute mea desperare? Non ita, non ita,* ait Con-

fessarius; *ô filia, sicut cogitas, sed in tuæ animæ bonum opto, vt ad concionem audiendam, crastino die, iterum te sistas. Quod tibi, pro salutari pœnitentia, iniungo.* Hac tam clementi pœnitentiâ intellectâ, atque, vt per eius exiguitatem, cum nefandis flagitijs suis, comparatam, in diuinæ bonitatis potentias immensitatémque ingressa, tanto, ob peccatorum recordationem, dolore vri, atque in tanta suspiria vrgeri cœpit, vt è templo pedem efferre non posset, sed illico cœlesti amore, vel liquescens, vel contabescens, animam efflaret. Accurrunt ad cadentem homines, & adhuc, per mortuæ genas, vberrimè currentes lachrymarum riuos deprehendunt. Nunciatur ea mors Concionatori; qui defunctæ animam cœnobij sui Religiosis commendauit. His ergo, pro ea, orantibus, de cœlo eiuscemodi vox venit: *Non est opus, vt oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis.* Hic huius tragœdiæ epilogus est; tam citò ex lupa agnam fecit diuina clementia, immò vel vnica diuinæ clementiæ cogitatio.

§. VI.

Sceleratissimi parentis breuis & efficax contritio.

Ac ne mulieres duntaxat delicati huius amoris

amoris contritionísque tam potentis capaces esse videantur; etiam apud viros, *fortis est, vt mors dilectio*; adeò vt, prædolore tam mitis Dei offensi, & ipsi, dissiliente in partes corde, emoriantur. Refert exemplum sui temporis author, qui non minùs ipse fecit, ab alijs, laudanda, quàm narrauit ab alijs cum laude gesta. Memorat igitur, in Gallia, id *fidelissima relatione traditum* accidisse. Ad Petrum de Corboel Senonensem celeberrimi nominis Archiepiscopum (qui, in tabulis Democharis numero septuagesimus secundus est, obiítque anno 1221.) vir quidam venit, qui parum honestè pudicitiam habuerat, vitiòque crescente, vim vitiúmque propriæ filiæ intulerat. Is, conscientia stimulante, ac tam nefarij criminis magnitudine perculsus, pœnitentiáque tactus, prædicto Archiepiscopo, delicta sua ingenti cum dolore animi, lachrymarúmq; effusione, confessus, quæsiuit, an adeò grauis peccator *vnquam posset, vllo dolore, vel pœna, à Domino veniam impetrare?* Cui Præsul: Ne dubita, fili, inquiebat, veniam impetrabis, *si tanti mali pœnitentiam subire volueris. Et ille vehementer exclamans: Volo, inquit, etiamsi mille mortes me sustinere volueris.*

Cant. 8. 6.

Thom. Cantiprat. lib. 2. apum. cap. 51. § 7.

ris. Tanti eſt, Deum verè dilectum offendiſſe. Confeſſarius, hominis contritione cognita, confitenti, & ipſe calidiſſimè collachrymatus: *Et ego*, inquit, *ſeptennem tantùm tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tunc ille.* quid ille? num ad noſtri ſeculi morem & frigus vel octidui pœnitentiam detrectauit; aut queſtus eſt, pœnam eſſe nimis diuturnam? Nequaquam. Sed, *Quid eſt, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitioſiſsimo ſeptennem tantùm iniungis; qui ſi viuerem vſque in finem mundi, tantùm facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem.* Hoc tanto támque, ad ſatis faciendum, parato animo intellecto, Præſul, *Vade, inquit, & tres dies tantùm in pane & aqua ieiuna.* Minuit pœnam, auxit dolorem pœnitentis, & ad tam fœdum facinus luendum, nullam pœnam ſufficere iudicantis; qui proinde longè impotentiùs plorans eiulánsq; ac pectus pugnis contundens, enixiſſimè rogauit, ne ſibi parceret, néue culpa minorem pœnam decerneret, ſed *vt pœnitentiam iniungeret ſalutarem.* Tam accenſum diuini amoris affectum ſupra modum admirans antiſtes, ſciens multa dimitti multùm diligenti, tandem imperio vſus, *præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm*

Pater

Pater noster *diceret, sciretq́ pro certo, peccatum iam sibi esse dimissum.* Ad hanc tam immensam Dei misericordiā ita obstupuit incaluitque confitens, vt magnitudinem diuini æstus non caperet mortale pectus. *Nec mora, dirum ille eimittens eiulatum, & in terram procidens, expirauit. Nec dubia fides est, sicut Deo dignus Episcopus postea prædicauit, quin idem pœnitens, sine vlla alia Purgatorij pœna, validissima tantùm contritione purgatus, ad gloriam euolârit.*

§. VII.

Quantum possit, apud diuinam misericordiam, vera contritio?

Quid primum, quid postremum dicam? quantus hîc dicendi campus? Quanta Numinis clementia? An non verè Deus rex est ille, ad quem accedens, qui decem millia talentorum debebat, debitum sanè ingens, & vrgens pondus æris alieni, tam citò, quidquid petijt, impetrauit? Siquidem *Procidens seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Atqui seruus, non remissionem, sed dilationem solutionis tantùm petierat: Dominus autem, atque in eo Christus, Matt. 18. 26.

ſtus, ait, *omne debitum dimiſi tibi.* cur? *quoniam rogaſti me.* non, quia triduo *in pane & aqua* inediam ſuſtinuiſti; non quia vigilijs te maceraſti; non, quia longis peregrinationibus corpus tuum fatigauiſti; non, quia multis annis te, cilicio & cinere, virgis & flagris, caſtigauiſti; non; quia in eremum ac ſolitudinem ſeceſſiſti; ſed *quoniam* animo tam contrito *rogaſti me.* Merebaris quidem illis omnibus te expiare; & agnoſcebas, te meruiſſe. Quia verò tam paratus, támque promtus eras, pro facto, acceptaui voluntatem faciendi.
Pſ. 50. 19. *Cor contritum & humiliatum non deſpexi.* Tam miſerante ſum animo, vt ſufficiat mihi, confeſſio tua; contritione tali ſtipata. Verus animi peccata retractantis dolor, apud me, ceteris rebus omnibus antecellit. Hoc puella illa patris, hoc pater iſte filiæ toro abominandus experti,
Pſ. 31. 5. iam mihi æternùm canunt: *Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* *Pro hac* tanta miſericordia hominibus impetranda, *orabit* ad me *omnis ſanctus, in tempore opportuno*, antequam ſcilicet tempus miſericordiæ finiatur, dum hæc

vita

vita durat; dum gemitus, dum suspiria, dum lachrymæ sunt salutares. Sic patri huic Incæstuoso, sic incæstuosæ filiæ salutares fuerunt, ignémque & Inferni, & Purgatorij extinguere potuerunt. A morte pater iste tansijt ad vitam; ab ipsis inferorum portis, hæc filia, ad superos, migrauit. Itaque *Non est opus, vt oretis pro ipsa; potiùs ipsa orabit pro vobis;* iam sancta, iámque exemplum, quæ paulò priùs fuit scandalum. Hæc, ad peccatorem, Christus de cælo clamat.

§. VIII.

A Concionatoribus misericordiam Dei peccatoribus impensè inculcandam esse.

Videtur mihi, cum ista voce, ipsa quoq; illa beata puella, & hic diuino vir amore confossus contritionéque ipsa extinctus, de cælo, clamare: *Venite, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum. Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.* Atq; in primis, vos Concionatores, qui meritò sæpe fulminatis in peccatores, & illis iustitiam irámq; diuinam inculcatis; illud etiam sedulò mementote, vt homines in spe erigatis, altissimísq; vocibus identidem clametis: *Quoniam tu, Domine, suauis & mitis: & multa misericor-* Ps. 65. 4. Ps. 85. 4.

dia

diæ omnibus inuocantibus te. Multi magis se sinunt duci spe, quàm impelli timore. Res violenta est metus, quæ non diu durat, nisi amore fulciatur. Amorem conciliat occasio sperandi. Sperandi maxima & occasio, & caussa est agnitio diuinæ bonitatis, ob vnum gemitum, & vnam lachrymulam, mille flagitia condonantis. Hanc, vos Dei præcones extollite; hanc mortalibus ob oculos ponite: hanc omni arte, omnibus coloribus exornate. dici nimium non potest, vbi est infinitum. Non tot desperarent, si scirent, Deum promtiorem esse ad dandam veniam, quàm homines ad accipiendam. Verè Deum nouit, qui in Deum confidit. *Ille negat Deum, qui eum peccata dimittere non credit.* Item *Dei misericordia est, vt peccata nostra dimittat. Nam si vellet pro meritis agere, non inueniret, nisi quos damnaret.* Denique Dauidem audite: *Deus meus, misericordia mea,* inquit. *Non inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum! Deus meus, inquit, misericordia mea.* Hæc beata illa mihi videtur ad Concionatores, de cælo clamare. Agite, concionatores, idem clamate ad peccatores: vt qui Dauidem secuti sunt peccantem,

S. Augustin. serm. 4. de Natiuit. Domin. super Ps. 94. Idem Augustin. in Psal. 58.

tem, ſequantur etiam pœnitentem. Eſto Bethſabæam vitiârint, eſto Vriam occiderint, & adulterium homicidio cumulârint; poſſunt tamen lachrymis & illam fœditatem, & hunc ſanguinẽ emundare, vt multos antecedant, qui ſibi de innocentia ſuperbè ipſis applaudunt. *Multi erunt nouiſſimi primi. Hoc autem dicebat, vt nec illi torperent, tanquam redire non poſſent; nec hi præſumerent, tanquam ſtent immoti. Hoc & Ioannes exclamans aiebat: Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Ne igitur confidamus ſtantes, ſed nobis dicamus: Qui ſtat, videat, ne cadat. Neque iacentes deſperemus, ſed dicamus: Nunquid qui cadet, non adijciet, vt reſurgat? Nam & Iudas priùs filius regni erat, & poſtea factus eſt gehennæ filius: & multi, poſtquam in ipſum aſcenderunt cæli verticem, & in deſertis morati ſunt, quòd paulò torpuerint, ſupplãtati ſunt, & ad ipſum malitiæ barathrum deuenerunt. Alij rurſum illinc aſcenderunt in cælum, &, ex orcheſtra, ad Angelicam migrauêre conuerſationem; & tantam virtutem exhibuerunt, vt expulerint dæmones, & alia multa fecerint ſigna.*

Matt. 19. 30. S. Chryſoſt. hom. 77. ad populum.

):(o):(

§. IX.

Confessarijs cum confitentibus paternè agendum esse.

Sed neq; Confessarios non compellat vtraque hæc historia, monétque, vt se Patres esse, aut paternos iudices oportere, meminerint. Si Dei vices agunt, Dei clementiam imitentur, neque sint in homines, homines ipsi, Conditore suo, immitiores. Sciant se quoq; iudicandos. Qualem ergo ipsi cupiunt habere iudicem Deum, tales & ipsi se se iudices exhibeant. Quid medicus prodest, qui vulnera non sanat, sed exasperat? & plagas detegenti plagas accumulat? Itaque qui paternè vult agere cum pœnitente, contritionem eliciat, non indignationem: in spem peccatorem erigat, non conijciat in desperationis abyssum. Etsi enim nonnullis in saxum induratis malleo opus, est, vt conterantur; cum quibus si leniter agas, laudare eos videberis, & in peccatis confirmare; qui vtique fortiter tangendi sunt, vt, per callum, dolorem persentiscant: sunt tamen alij, qui acri monitione penitus franguntur, quos quocunque flectas, si diuini amoris ac misericordiæ adhibeas suauitatem. His & concionator, & confessarius Deum iustum quidem,

quidem, ſed, in hac vita maximè, clementem ante oculos ponat; illum nempe Deum, qui *vocat auerſos, donat peccata conuerſis. patiens eſt ſuper peccatores, donec conuertantur. Quandocunque conuerſi fuerint: præterita obliuiſcitur, futura promittit. Hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adiuuat dimicantes, neminem deſerit laborantem & exclamantem ad ſe: donat vnde ſibi ſacrificetur; ipſe tribuit, vnde placetur. Hoc magnum miſericordiæ tempus; non nos tranſeat. Venturum eſt enim iudicium. Et tunc erit pœnitentia, ſed infructuoſa.* Huiuſmodi conciones, hamus ſunt, quo trahuntur etiam in magno peccatorum pelago natantes: prunæ ſunt, quibus bona indoles liqueſcit: flammæ ſunt, quibus etiam frigida corda incenduntur. S. Auguſtin. in Pſal. 32. ſerm. 1.

X.

Mundum beneficijs diuinis plenum ad gratiarum nos actionem vocare.

Quis beneficium nouit, & non amat? Quidquid huc vſq; laboratum eſt, laboratū eſt, vt Deum bonum, juſtū, miſericordem, facientem omnibus bene, noſceremus. Vel Seneca hunc ex hac notitia fructum agnouit: nam contra Epicurum diſputans, qui Deum non eſſe de nobis ſolicitum, nec conferre nobis

 vlla

vlla bona, sacrilegâ insciriâ, docebat, negat vllum esse, ad quem aliquid, ex illo benignissimo fonte, non manârit. *Non dat Deus beneficia*, inquit, *sed securus & negligens nostri auersus à mundo aliud agit, aut (quæ maxima Epicuro fœlicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quam iniuriæ tangunt. Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & vndique sublatis in cælum manibus vota facientium priuata ac publica. Quod profectò non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent alloquendi surda numina, & inefficaces Deos, nisi nossent illorum beneficia nunc vltrò oblata, nunc orantibus data, magna, tempestiua, ingentes minas interuentu suo soluentia. Quis est itaq; tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, & in pœnam genitus, vt non tantam Deorum munificentiam senserit? ipsos complorantes, sortem suam, & querulos circumspice, inuenies non ex toto beneficiorum cœlestiũ expertes, neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignißimo fonte manauerit. Parum autem id quidem nascentibus ex æquo distribuitur? vt quæ sequuntur in æquali dispensata mensura transeamus, parum dedit natura, cum se dedit? Non dat Deus beneficia? Vnde ergo ista, quæ poßides? quæ das? quæ negas? quæ seruas? vnde hæc*

Senec. lib. 4. de benef. c. 5. 6. 7.

hæc innumerabilia oculos aureis & animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoq; instruens copia? neq; enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est, vsq; in delicias amamur. Tot arbusta non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidóque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœnissimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commercijs viam, vasto & nauigabili cursu vadentia, ex quibus quædam, statis diebus, mirabile incrementum trahunt, vt anhela & feruenti subiecta cœlo, loca subita vis æstiui torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venæ? quid in ipsis littoribus aquarum calentium exundatio? Te, Lari maxime, téque, Fluctibus & fremitu, assurgens Benace, marino. *Si pauca quis tibi donasset jugera, accepisse te diceres beneficium, immensa terrarum latè patentium spatia negas esse beneficia? si pecuniam tibi aliquis donauerit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleuerit, beneficium vocabis. tot metalla defodit, tot flumina emisit in aëra, super quæ decur-*

runt sola aurum vehentia: argenti, æris, ferri immane pondus omnibus locis obrutum, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium diuitiarum, in summa terra, signa disposuit. negas te accepisse beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat, & tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, num mediocre munus vocabis? Ingens tibi domicilium, sine vllo incendij aut ruinæ metu, struxit, in quo vides non tenues crustas, & ipsa, qua secantur, lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas variæ distinctæque materiæ, cuius tu paruula frusta miraris, tectum verò aliter nocte, aliter interdiu fulgens: negas te vllum munus accepisse? & cum ista, quæ habes, magno æstimes, quod est ingrati hominis; nulli debere te judicas? Vnde tibi istum, quem trahis spiritum? Vnde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas, lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam lassæ voluptatis? Vnde ista quies, in qua putrescis ac marces? nonne, si gratus es, dices? Deus nobis hæc otia fecit.

Namque erit ille mihi semper Deus, illius
aram.

Sæpe

Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

Ille Deus est, non qui paucas boues, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus vbiq; passim vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiua substituit, qui non calamo tantùm cantare, & agreste atque inconditum carmen, ad aliquam tantùm oblectationem, modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios, spiritu nostro, alios, externo, cantus edituros commentatus est. Neque enim nostra ista, quæ inuenimus dixeris, non magis, quàm quòd crescimus, quàm quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondent. Num puerilium dentium, nunc ad surgentem iam ætatem, & in robustiorem gradum transeuntem pubertas, & vltimus ille dies fugienti vitæ terminum ponens? Insita sunt nobis, omnium ætatum, omniúmque artium semina, magistérque ex occulto Deus producit ingenia; immò producit omnia, & producit sapientissima bonitate temporata, vt jure vbique dicere possimus: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra?* Psal. 8. 1.

§. XI.

Nomen Domini, & de beneficiys, & de seipso, amabile atq; admirabile esse.

Immo, quàm amabile? Idcirco dicitur: Cant. 1. 3. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te*; quæ oleo atque odore tantæ benignitatis vbique spirantis suauissimè trahuntur. Quanquam *adolescentulæ*, vocantur, vt exponit Origenes, animæ in virtute nondum perfectæ, sed incipientes. Hæ enim, teste S. Gregorio Nysseno, sunt, quæ idcirco Deum diligunt, quia sentiunt nominis illius effusionem, fragrantiam, & suauitatē. Perfecti non spectant eiuscemodi suauitates. Amant enim Deū propter Deum; amant, vt ament: quippe amor verus non est mercenarius, sed liberalis. Amor verus ille est, qui ait: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Siue extollimur, siue deijcimur, Dominum diligimus. Siue percutiat, siue sanet, Dominum amamus. Siquidem, vt Chrysostomus ait: *Amantis est, nunquam ab his absistere, quæ placent amato*: sed dicere: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculū? an persecutio? an gladius?* Quare de his, in alijs libris disserendum est; vt disca-

Orig. in lib. duar. homil. in Cantic. S. Gregor. Nyssen. orat 1. in Cantic.

Rom. 14. 8.

S. Chrysost. hom. 1. ad popul. Rom. 8. 35.

diſcamus & illud dicere, quod ſequitur: *In his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos.* Diligit enim etiam, cũ punit. Quam ob cauſſam, multò magis exclamandum eſt: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum, in vniuersâ terrâ?* Psal. 8. 1. Quod etiam vt, hoc titulo, *admirabile* eſſe, ſcias, LECTOR,

Id quod maximè, in orbe, miror, hoc eſt:
Oderunt homines Deum, nec vllam
Nouerunt odij inuenire cauſſam.

FINIS.

OMNIA AD MAIOREM DIVINÆ BONITATIS GLORIAM.

Cum facultate Superiorum.

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

CAPVT. I.

§. 10. *Ad*

CAPVT. II.

Aliunde relictorum Deo maiorem curã esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Passionis & missionis S. Spiritus mysterio, ostenditur.

CAP.

CAPVT. III.

Alijs noui Testamenti exemplis ante occulos ponitur, mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit.

CAPVT. IV.

Exempla prouidentissimæ in homines diuinæ bonitatis, circa alimenta.

CAPVT. VII.

Prouidentiæ iudiciique diuini Bonitas, in spirituali S. S. Euchatistiæ alimento mirificè subministrato, declaratur. Vbi etiam docetur, quàm grata sit Deo Spiritualis communio.

§. 10.

CAPVT. IX.

Quàm prodigiosâ liberalitate Deus seruis suis, maximéq; religiosis prouideat, tempore necessitatis?

§. 7.

CAPVT. X.

Aliunde desertis Dei seruis etiã delicias apponi.

CAPVT. XIII.

CAPVT. XIV.

Per bestias, etiam illas, à quibus alioqui cauemus, Deum nonnunquam succurrere, & miranda exhibere.

§. 3

CAP.

CAPVT. XVII.

Quanta, ex consideratione Dei summè boni, summéq; misericordis, etiam alioqui desperatis spes veniæ & fiduciæ addatur?

CAPVT. XVIII.

Deum, infinita sua clementia, omnes ad pœnitentiam gratiarúmque actionem inuitare.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

PRIOR NVMERVS CAPVT, POSTERIOR paragraphum significat.

Athe-

Cultus

Ful-

Lau-

Spiri-

Errata sic corrige.

Pag. 12. v. 18. coarctati. 43. v. 4 largitus. 124. v. 7. destituta. 256. v. 17. assueuerat. 259. v. 8. infuderunt. 261. v. 13. ipsæ. 264. v. 11 quia 362. v. 22. parabatur. Reliquos apices, quos inuertit Typographi manus, facilè conuertet Lectoris oculus.

Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 1.

Quia DEVS omnium Conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit; nihil non ratione tractari intelligiq; voluit.

S. Damascenus lib. 2. orth. fid. cap. 29.

Omnia prouidentiæ opera suscipiamus, omnia laudemus, omnia citra vllam censuram

ſuram comprobemus; quamlibet ea pleriſque iniqua videantur.

S. Paulinus Ep. 38.

Si à Deo omnia, & Devs bonus eſt, omnia profectò, quæ fecit Devs, bona. Si qua autem ſunt, in arcanis ſtatutorum eius, altiora ſenſibus & cogitationibus noſtris, etiamſi rationem eorum conſequi & colligere non poſſumus; tutius tamen nobis eſt, magis occultas eſſe rationes, quàm nullas credere: quia non ambigendum, omnia Dei eſſe, etſi nobis non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta.

Balduinus apud Godefridum Tilmannum.

Bona cæcitas, eſt in ſe ipſo magna non videre, & quæ ſcire non licet, piè ignorare.

8-1